DE REGNO THEODORICI I^mi, WISIGOTHORUM REGIS.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS HISTORICA,

QUAM
AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE
IN
ALMA ACADEMIA VRATISLAVIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXX. MENSIS SEPTEMBRIS
H. L. Q. C.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CLEMENS VOLMER,
GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
DR. JUR. AEM. WENDROTH,
REFEREND. REGIUS.
FRANC. RIEMER, STUD. PHILOS.
RUD. RUDLOFF, STUD. PHILOS.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH.)
MDCCCLXII.

Tradidit nobis antiquitas fabulam, praeclara significatione excellentem, quae multarum rerum gestarum et operum peractorum seriem unius hominis robori et virtuti attribuens viam culturae (sit venia verbo!) nobis ostendit, incipientem in Asiae litore, procedentem per Africam et Europam usque ad Oceanum et fretum Gaditanum.

Hic est Herculis mythos, qui miles contra ferae naturae portenta et pericula, litora maris mediterranei peragrans fingitur, hic agrorum culturam instituens, illic rem pecuariam, vel qua arte paludes redderentur siccae docens, ut quae antea feris receptacula et latibula erant, jam homini victum darent, ubique homines bonis moribus studentes, contra barbarorum insolentiam defendisse traditur.

Wisigothorum historia simile aliquid praebet Gothi quoque Europam peragrarunt. Migrationem incipientes a mari baltico et Suediae terris transgrediuntur Sarmatarum vastam planitiem, adveniunt ad pontum Euxinum, ubi considunt, ut ad continuandum iter, quod divino consilio eis praescriptum erat, vires firmarent. Excitati a Fato vagantur per terras, dum recipiuntur territi et fatigati advenae in regiones illas, quae trans Danubium sitae sunt. Ubi Romanorum crudelitate lacerati et durissima fame incitati, omnes etiam servitutis miserias perpessi, gloriam tandem, a majoribus paratam, recuperare student. Surgit populus fortissimus: trepidat Constantinopolis gloriosa urbs, quum videat Gothorum agmen moenibus appropinquans; ponunt castra ante Athenarum muros et Spartae; Romanorum superbissimam civitatem ter humiliant expugnationis terrore. Deinde Italiam relinqunt, Alpium montes superant et horridos Pyrenaeos — maximus exercitus, cujus milites non filios martis judices, qui rebus

exstinctis gaudent vel perversis, sed bonorum morum propagatores et defensores, humanitatis fortes milites, fautores et adjutores novae culturae, quae nisi in veteribus ruinis constitui non poterat.

Veteres culturae stolones, ut ita dicam, caedebant, delebant fructus pingues quidem, sed invalidos et languidos, quos luxuria maturaverat. Societati humanae, quae jam in eo erat, ut dissolveretur, novis elementis adductis, mundum servarunt amore religionis, temperantiae et libertatis. Quam gloriam regenerati mundi quamquam cum ceteris Germanis nationibus communem habent, tamen novae culturae spelendidissimos fructus primi manifestos fecerunt.

Omnium a Wisigothis rerum gestarnm historiam praeteribo, neque Alarici illustris regis facta celebrabo, neque ejus affinis Athaulfi, neque fortissimi Waliae, sed hoc tantum mihi proposui, ut inde a tempore, quum in sedibns firmis considere incipiebant, initia et progressus eorum civitatis Theodorico primo rege narrem, atque ostendam, quo modo factum sit, ut in medio Romanorum imperio siti, quum et contra Romanorum artes et arma et vitia contendere et suorum morum asperitatem lenire necesse esset, eo pervenerint, ut eorum regnum potentia et auctoritate inter vicina excelleret et sana cultura omnia superaret.

Cap. I.

De regni Gothici circuitu naturaque et de agrorum divisione.

Wisigothi, postquam Athaulfo et Walia ducibus in Gallia et Hispania, illustrissimis victoriis reportatis, bella civilia finiverunt et rei publicae effrenatos hostes puniverunt, ab imperatore Honorio ex Hispania in Galliam revocati sunt, ubi firmas sedes occuparent.

Naturam regionis, quam quilibet populus incolit, multum valere, non solum ad excolendos mores et ingenia formanda sed etiam ad comparandos exercitus, ad defendendos fines contra invasiones hostium, ad impetus faciendos in ipsorum hostium terras, ad omnes denique res, quae illis sunt cum finitimis populis, quis est, qui dubitet? Quae quum ita sint, antequam procedimus ad enarrandas res gestas, respiciamus earum regionum, quae Gothis traditae sunt, circuitum et naturam.

Quod pertinet ad novi regni circuitum, Idatius[1]) tradit „Gothos accepisse sedes in Aquitania et Tolosa usque ad Oceanum,“ quod et Sulpicius Severus.[2]) Addit autem Prosper Aquitanicus[3]) „datam eis ad habitandum secundam cum quibusdam civitatibus confinium provinciarum;“ Aquitanïam idem iisdem fere verbis refert Isidorus Hispalensis.[4])

---

[1]) Idatius chron. apud du Chesne (Scriptores historiae Francorum coactanei) Tom. I.

[2]) España sagrada Tom. IV. p. 452.

[3]) Prosper Aquit. chron. Honorio XIII. et Theodosio X. (ad ann. 419.)

[4]) Isid. Hisp. chron. Gothorum in Hispania illustrata Tom. III. — Philostorgius apud Bouquet Tom. I. p. 601 scribit incertis verbis „Gothos quandam Galliae partem ad agros excolendos accepisse.“

Aschbachius[1]) contendere videtur, initio regnum Gothicum constitisse ex provincia Aquitania secunda (quae continebat sex civitates) et e civitate Tolosa, (in provincia Narbonensi prima sita); eamque septimam civitatem fuisse; quo de numero derivandum esse nomen Septimaniae; cujus primum mentionem fecisse Sidonium Apollinarem.[2])

At hujus sententiae vanitatem probare haud difficile est. Etiam si concedere vellem, septem tantum civitates Gothis concessas fuisse, Septimaniae nomen post Gothorum adventum inventum esse sine ullo dubio negandum esset. Plinius enim et Pomponius Mela jam ante Gothos Septimanorum nomen usitatum fuisse probant.[3]) Sed ne istud quidem concedi potest. Nam e Prosperi et Isidori verbis elucet, praeter Aquitaniae secundae sex civitates non unam civitatem ex finitimis provinciis Gothis traditam esse, sed plures.

Quae fuerint, nonnullis verbis explicare studebo:

Quicunque intuetur tabulam geographicam, in qua Gallia depicta est, ut saeculo quinto divisa erat, intelligere debet, Tolosam novi regni caput non fuisse, nisi vicinis etiam provinciae, Novempopulanae civitatibus a Romanis concessis. Urbs enim in ultima terrae extremitate sita neque conjuncta cum cetera parte, nisi per laciniam angustam, novi regni caput esse non potest.

Atqui Tolosam Gothorum caput fuisse jam initio regni, Jornandes (c. 32) probat. Ergo etiam sine rerum scriptorum auctoritate credendum esset: vicinas provinciae Novempopulanae civitates Gothis concessas esse. Sed scriptorum etiam auctoritate innitimur. Traditum enim est, anno 439[4]) quo Gothiscum Romanis bellum erat, St. Orientium episcopum Auscorum (quae civitas in provincia Novempopulana sita), subjectum potestati Theodorici regis, legatum missum esse in castra Romana, ubi conditiones pacis offerret et acciperet.[5]) Qua re probatur, Gothos etiam provinciae Novempopulanae partem aliquam accepisse, sine ullo dubio civitatem Auscorum. Vasaticam etiam civitatem ejusdem pro-

---

[1]) Aschbach. Geschichte der Westgothen, pag. 110 et 111.

[2]) Sidon. Apoll. epist. 1a. libri III. ad Avitum (ed. Sirmondus).

[3]) Plinius Hist. Nat. III. 5 Pomp. Mela II. 5.

[4]) Bolland. ad primi Maji diem. Vita St. Orientii.

[5]) Cf. pag. 38 et 39 sq. hujus libelli.

vinciae Novempopulanae jam ante annum 439, fortasse jam anno 419 concessam esse verisimile mihi videtur, quum hanc civitatem in memorabili illo bello (439) per Romanorum copias obsessam esse Gregorius Turonensis scribat.[1]) Qui autem civitatem Ausciensem et Vasatensem Gothorum fuisse concedit, Elusatium quoque et Lactoratium civitates in eorum potestatem venisse negare non potest, siquidem tabulam geographicam intuitus est. Quatuor igitur civitates Novempopulanas Gothorum fuisse colligimus: Auscorum, Lactoratium, Elusatium, Vasatensium. Si aliae etiam, plane ignoramus.

Eam vero Novempopulanae partem, quae spectat ad Pyrenaeos montes eisque proxima est, propter transitum in Hispaniam in Romanorum potestate remanisse non dubito.

Ceteras confinium provinciarum civitates, quae in ditionem Gothorum venerunt, singulas nominare nescio, quum fontes, de hac re tradentes, et rari sint et exigui. Attamen si conjicere licet, civitates Albensium et Cadurcorum, sitas in provincia Aquitania prima, Gothorum fuisse conjiciam. Adducit me ad hanc opinionem supradictarum civitatum opportunitas Gothorum regibus in urbe Tolosa habitantibus, utilissima, immo etiam necessaria. Si enim Romani supradictas civitates occupassent, unius diei itinere facto, Gothorum aulam in urbe Tolosa opprimere potuissent. Quam sententiam, qui probat, Gebenna monte in meridiem versus Gothos a Romanis divisos fuisse, concedere debet. In orientem Gothorum fines, usque ad Aquitaniam secundam, in septentrionem usque ad flumen Ligeris et terram Armoricorum[2]) porrigebantur.

Quae quum ita sint, quid impedit, quo minus ponamus, regnum Gothicum continuisse ann. 419 civitates Burdigalensium, Agennensium, Ecolismensium, Santonum, Pictavorum, Petrocoriorum (quae urbes erant provinciae Aquitaniae secundae), civitates Auscorum, Lactoratium, Elusatium, Vasatensium (urbes Novempopulanas) Cadurcorum et Albensium (in Aqui-

---

[1]) Gregor. Tur. de gloria martyrum l. 1. c. 13. Cf. etiam hujus libelli, pag. 38, not. 2.

[2]) Merobaudis panegyricum Aetii (ed. Loebell) v. 14. 15:
„Et quamquam Geticis sulcum confundat aratris (incola Armoricus)
„barbara vicinae refugit consortia gentis.“

tania prima) omniumque caput Tolosam (in Narbonensi prima).[1])

Harum regionum a Gothis occupatarum naturam et conditionem optime cognoscimus Salvianum autorem sequentes; qui ait[2]):

„Nemini dubium est, Aquitanos et Novempopulanos medullam ferte omnium Galliarum et uber totius foecundiatis habuisse, nec solum foecunditatis, sed quae proponi interdum foecundidati solent, jucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Adeo illic omnis admodum regio aut intertenta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amoenata lucis, aut inrigua fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit, ut vere possesores ac domini terrae illius non tam soli istius portionem, quam paradisi imaginem possedisse videantur.“ Haec descriptio probat, Gothos possedisse terram optimam, amoenissimam, praepollenti culturae aptam. Quae quamquam sufficiunt, ut ejus regionis incolae divites fiant; ut potentes sint bello, pacisque artibus insignes, aliis etiam conditionibus opus est, quibus Gothi Aquitanici carebant.

Primum enim ab omnibus partibus circumdati erant, ne dicam obsessi, terris Romanorum: in orientem versus et septentrionem obstabant provinciae Gallicae in occidentem Hispania cum Novempopulana et Pyrenaeorum in accessis montibus, dum in meridiem excluduntur a mari interjacente provincia Narbonensi; cujus provinciae possessionem Romani Gothis invidebant, et jure; quum enim Romanorum copiae maritimae jam nullae essent nulla restabat via, per quam in Hispaniam properarent, nisi per Narbonensem terram; (quam si Gothis cessissent, Hispaniam quoque cedere necesse fuisset). Attamen illo tempore, quo erat mare mediterraneum, ut ita dicam, maxima culturae via, libera cum eo conjunctio maximi momenti erat.

---

[1]) Pace conclusa anno 439 (cf. de hac pace hujus libelli p. 41 et 42) accesserunt tandem reliquae civitates provinciae Novempopulanae scilicet octo: Aquensium, Convenarum, Consorrannorum, Boatium, Benarrensium, Aturensium, Turba (ubi castra Bigorra) Elloronensium. (Hasce notitias collegi ex „Notitia Provinciarum et civitatum Galliae, Honorii Augusti, ut videtur, tempore condita,“ apud du Chesne. Tom. I; altera quaedam notitia, edita apud du Chesne, pro „Ecolismensium“ ponit „Aqualinensium“).

[2]) Salvian. de gub. Dei lib. VII. p. 132 ed. Rittershus.

Quis igitur dubitet, rempublicam Wisigothorum haud levibus conditionibus caruisse, ut firma esset? E contra, quum eorum regnum non opportunum esset, neque ad impetum ferendum, neque ad repellendum, timendum erat, ne, ut Alarici milites Italiam relinquere coacti fuissent, hoc quoque paradiso terrestri, ut scriptoris illius clerici verbis utar, expellerentur. Et praevidendum erat, Romanorum duces nunquam deposituros esse consilium recuperandarum terrarum, quarum incolae et religione et moribus et lingua praedicabant, sese Romanorum imperio subditos fuisse.

Sed quamquam magna impedimenta et pericula obstabant; Theodoricus rex brevi tempore res Gothicas eo provexit prosperitatis, ut non solum populi libertas defenderetur contra Romanorum eorumque sociorum impetus, sed etiam respublica Misigothorum, ipsius regis sapientia, temperantia, justitia domi optime gubernata, et bellorum bene finitorum gloria clara, inter finitimos populos excelleret. Theodoricus instituit ita populum suum, ut post ipsius mortem filias sequeretur ad capiendam Galliam et Hispaniam.

Plurimarum nationum Germanarum historiam legens, hoc praecipue vitium invenies, quod debilitabant vires suas saevissimis bellis, caedibus, rapinis, crudelissimis depopulationibus, latis in imperium, quod quamvis inerme videretur, veteribus sapientium virorum institutis et praesentium ducum callido et versuto ingenio quandam stabilitatem servasset. De bilitatis contingere non poterat ut incolis occupatae terrae secum mixtis novum quasi crearent populum, probatis illis veterum institutis domi firmum, advenarum robore ac virtute bello validum. Evenit saepissime, ut disparerent e memoria nationum carentes gloria reformatorum morum; delerant enim, quae eis abstabant, deleta denuo construere nolentes. Gothi vero (quod praeclariore indole eos a natura ornatos esse probat) non ignorabant, prudentia opus esse et temperantia, ut libertatem servarent, opes augerent; si communia commoda asseqni niterentur, fore, ut Romanos sibi subditos amicos haberent; sin commoda utrique civium parti communia aspernarentur, sua tantum quaerentes, illos sibi hostes fore, in perniciem advenarum conjuratos.

Hac mente Theodoricum primum Gothorum res rexisse facta probant. Qui eodcm anno quo Gothi Aquitaniam oc-

cuparant, Waliae successit, a populo electus.[1]) Primos regni annos rex juvenis enitebatur, ut promiscuas Romanorum et Gothorum conditiones constitueret, vel componeret controversias de agris dividendis ortas. Itaque necesse est propius inquirere, qua ratione terrae inter advenas et veteres incolas divisae sint.[2]) Imprimis autem admonendum est, Gothos novam patriam intrasse, non ut hostes, sed ut exercitus quasi emeritus, cui a Caesare terrae assignatae erant ut praemium virtutis. Quam populi Gothici naturam (dico, eum exercitum fuisse amicum emeritumque) nunquam dimittere debes, si quidem conditiones Romanorum Gothorumque clare perspicere vis.[3])

Quod pertinet ad multitudinem agrorum cedendorum leges Wisigothorum probant, Romanos duas tertias partes agrorum cultorum advenis tradidisse, neque eis licuisse, plus quam tertiam retinere.[4])

Sed cave putes, Gothos extemplo universos agros diligenter et accuratc mensos esse, deinde ita divisisse, ut Romani tertiam, Gothi duas tertias partes possiderent. Talis mensura et divisio plurimorum mensium, immo etiam annorum fuisset; unde autem potuissent advenae sustentare

---

[1]) Cf. Olympiod. (Bouquet Tom. I.) Isid Hispal. chron Goth. — Jornandes c. 33 mira quaedam narrat de Ostrogothorum Berimundi et Witirichi adventu in Aquitaniam eorumque sera regni spe. Jornandem haec invenisse probat Carolus Schirren (de ratione, quae inter Jordanem et Cassiodorium intercedat, dissert. Dorpati 1858 p. 72) — Gibbonius (Hist. of the delcine and fall of the roman impire CXXXI.) dixit, Theodoricum Alarici filium fuisse, Sidonii sine dubio versibus nisus, qui Alaricum Theodorici secundi avum appellat. (Panegry. Avit. vers. 505 et 506.) Sed fortasse Theodor. secundus e filia Alarici natus erat; fortasse etiam poëta superiorem tantum regem intelligi vult. Itaque haec quaestio in medio relinquenda.

[2]) Cf. Gaupp. Die germanischen Ansiedelungen und Landtheilungen in den Provinzen des römischen West-Reiches § 51 ff.

[3]) Isid. Hesp. chron. Goth. „data Gothis ob meritum victoriae ad habitandum secunda Aquitania.“

[4]) Leges Wisigoth. L. X. tit. 1 lex 8. „Nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus praesumat aut vindicet: aut de tertia Romani Gothus sibi audeat aliquid usurpare aut vindicare.“ Vetustiore etiam auctoritate est hic (ex Sidonii Apollinaris epistola nona libri octavi) locus: „Necdum enim quicquam de hereditate vel in usum tertiae sub pretio mediaetatis obtinui.“ (Sidonii Apoll. opera, ed. [illegible]us.)

vitam per hoc tempus; quo tandem modo defendere corpora contra asperitates coeli. Num castra ponenda fuisse censes et incolas annonam praebere jubendos? Minime certo. Hoc si fecissent, periculosa annonae caritas sine dubio irruitura fuisset; an credi potest incolas, Romanos, quum scirent, sese meliorem agrorum partem amissuros esse, stomachum et iram reprimentes tanta assiduitate tantaque diligentia laborasse, ut etiam advenarum multitudinem alere possent? Ista conjectura pugnat cum praeceptis institutisque administrationis rei rusticae. Praesente quodam et agrorum et rerum rusticarum divisione opus erat. Quomodo id factum sit, nonnullis verbis illustrare conabimur.[1]) Quod Gothi tempore adventus in Aquitaniam Romanorum amici habendi erant et socii, neque hanc terram armorum vi adepti erant, sed ex foedere quodam icto,[2]) colligere debemus, magistratus Romanos non subito munera deseruisse. Minime veri simile est, Honorium imperatorem eos, qui modo suae subjecti erant potestati, sine praesidio et indefensos Gothi arbitrio tradidisse; sine ullo dubio et terra et incolae tradebantur ex pacto (ut Burgundionibus),[3]) quod utriusque partis et jura et officia debitaque definiret, atque constitueret, ut advenae cum magistratibus Romanis de agris dividendis agerent, magistratus Romani autem advenis tectum et hospitium curarent.

Ad id efficiendum modus maxime idoneus erat collocandarum singularum familiarum apud dominos Romanos eadem ratione, qua milites romani per hospitia disponebantur,[4]) ea tamen diversitate, ut hospites Gothi sub tecto domini Romani semper remansuri essent, atque, quum opifices et artifices non essent, sed rebus rusticis dediti, rus potissimum peterent, oppida spernerent.

Antequam patremfamilias Gothum prosequimur ad locum ei indicatum, dicamus pauca de agrorum posessoribus.

---

[1]) Cf. Gaupp. l. c. § 54 et. seq.

[2]) Prosper Aquit. „Constantinus Patricius pacem firmat cum Walia data eidem ad inhabitandum secunda Aquitania“ etc.

[3]) Prosper Tiro ad ann. 20 Valentin. „Sapaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis dividenda.“

[4]) Cf. Gaupp. l. c. § 14. 15 16. 29.

Ut in aliis provinciis, ita etiam in regionibus Gothorum populo concessis erant agri publici, quorum tria genera distinguebantur: fundi rei privatae et praedia rei dominicae vel domus Augstae et fundi patrimoniales.[1]) De multitudine horum agrorum nil nobis traditum est. Sed quum Romani Tolosam et vicinas regiones immani bello sub duro Caepiore duce subjecissent,[2]) adductus sum, ut credam, multos tum agros publicatos esse.

Neque de urbium vel ecclesiarum agris traditum est.[3]) Sine dubio autem agrorum major pars a privatis possidebatur, inter quos praesertim a decurionibus (qui et curiales nominantur). E codice Theodosiano probari potest, curiales fuisse posessores agrorum. Ubi in multis locis mentio fit de curialium agris, tamquam agrorum possessio per se intellegeretur. Itaque, quum etiam curialibus suo arbitrio agros vendere non liceret, status deinde agrorum numerus efficeret, ut qui possidebat, quamquam curiali genere non ortus, etiam invitus curialium ordini sed scriberetur dubitare non possumus, quin curiales prae ceteris excelluerint agrorum possessionibus.[4]) Cum hoc pugnant quidem miserabiles illae et flebiles curialium ordinis adscriptiones, quae ad codicis Theodosiani auctoritatem referuntur. Sed diversum quendam ejus ordinis conspectum habemus Salvianium legentes, qui eos describit divites et potentes, ut qui maxime.

Neque tamen ita excellebant, ut non fuerint praeter eos alii etiam alicujus momenti. Erant etiam praeter curiales in Gallia possessores,[5]) quorum et numerus et auctoritas haud parva fuisse videtur, quum celebri illa Honorii constitutione[6])

---

[1]) Cod. Theodos. X. 3. 4. 5 XI. 19. — C. Th. X. 25. 26. — C. Th. XI. 19. Walter, Geschichte des römischen Reichs p. 75.

[2]) Cf Amandée Thierry: Histoire des Gaulois Tom. 3 p. 13.

[3]) Urbes vel curias praedia possedisse elucet e Cod. Just. lib. X. tit. 31 l. 51 — tit. 34 l. 1. 2.

[4]) L. 5. 6. 33. C. Th. de decurionibus (XII. 1.) L. 2. XII. 18 — L. 1. 2. C. Th de praediis et mancipiis curialium XII. 3. — L. 5. 33. C. Th. de decur. (XII. 1.) Codic. Just. lib. X. tit. 33. de praediis decurionum leg. 1 2. 3.

[5]) Gaupp. l. c. pag. 66. Not. 1.

[6]) Cujus constitutionis vetustior editio apud Sirmondum est ad Sidonii Apollinaris carmen XV. v. 151. recentior apud Winck: Codicis Theodos. libri V. priores append. III. p. 370 et seq.

ad concilium Arelatense appellarentur. Attamen Galliam quoque, ut ceteras provincias [1]) latifundiis perditam esse negare non possumus. Salvianum legentibns [2]) elucet, magnum fuisse ingenuorum numerum, qui in divitis alicujus patrocinium intrare cogerentur. Bagaudarum etiam rebellionibus, quas tractabimusinfra, probatur, multos ad colonorum conditionem redactos fuisse. [3])

De magna illa mutatione omnium rerum rusticarum rectius existimaremus, et colonorum Romanorum conditio in regno Gothico esset minus ignota, si aliquid certum nobis traditum esset de numero possessorum ingenuorum vel de numero eorum fundorum, quorum administratio ex alio non pendebat. At nil traditum esse dolemus. Conjiciendum est igitur. Conjecturae autem quum in omnibus rebus periculosae sunt, tum maxime in definiendis numeris. Benigne igitur judices, quaeso, amice lector, de conatu meo, quum m a x i m u m s a l t e m numerum definire audeo.

Familiae honoratorum in sigulis civitatibus sine dubio paucae erant, quod mihi ex natura rerum sequi videtur, quum hi quondam majoribus imperii muneribus functi essent; quae munera erant rara. Quamquam multa praedia eos possedisse verisimile est (quod etiam probatur exemplo Benedicti Paulini Petrocorii, [4]) qui fundos habebat in terra Burdigalensi et Massiliensi et in Epiro), tamen sine magno calculi errore eos omittere possumus.

Magni autem sunt momenti curiales. Hic tamen magna nobis occurrit difficultas, quod eorum numerum in singulis civitatibus accurate definire non possumus. Quamquam enim adest doctissimi Savignii auctoritas, qui centum in singulis civitatibus curiales fuisse docet, innisus notitiae curialium Canusinorum, [5]) nova difficultas ea obstat, quod a Salviano docemur, in Gallia vel septem provinciis non solum capita

---

[1]) Cf. Plinius Hist. Nat XVIII. 7.

[2]) De gub. Dei pag. 95 sq.

[3]) Cf. v. Savigny: Ueber den römischen Colonat. Vermischte Schriften, L. II. p. 1 66.

[4]) Cf. Paulini Petrocorii Eucharisticon ed. Christ. Daumius.

[5]) Cf. Savigny: Geschichte des römischen Reiches im Mittelalter. Bd. I. C. II. 24.

civitatum habuisse curiam, sed etiam municipia atque vicos.[1])

Sed credi non potest, municipia atque vicos eundem curialium numerum habuisse, quem urbes; neque verisimile est, omnia municipia omnesque vicos habuisse curiam, quum ex more Romano esset, ut magistratus urbis vel municipii regiones circumjacentes admistrarent.

Itaque, totam civitatem, ubi plurimum, 400 curiales continuisse, conjiciens minime vereor, ne minorem numerum statuisse accuser. Eundem numerum concedo reliquis possessoribus agrorum. Singulis etiam curialibus binos fundos, quod efficit 1200 fundos vel villas privatas in singulis civitibus. Ad hoc, ne in minorem numerum errare accuser, reipublicae et oppidis et ecclesiis eundem numerum fundorum assigno; qua duae summae efficiun t2400 fundos in singulis civitatibus. Minime me fugit, alias fuisse res in aliis civitatibus, neque defendo, rationem meam accuratam esse, id solum contendere velim, ubi plurimum, 2400 fuisse fundos propria administratione cultos, non a colonis. Talium igitur fundorum numerum multiplicantes ter decies (tredecim enim ferme civitatis Gothis traditas esse cognovimus) efficimus 31,200. Atqui in divisione terrarum ea observabatur lex, ut apud singulos dominos Romanos singula familia Gothorum collocaretur.[2])

---

[1]) Cf. Salvian. de gub. Dei lib. V. p. 89: „Quae enim sunt non modo urbes, sed etiam municipia atque vici, ubi non, quot curiales fuerint, tot tyranni sint.“

[2]) Hoc concludere debemus ex his locis legum Wisigothorum: lib. X. tit. 1. l. 4. „Quum priscae legis auctoritate fuerit constitutum, ut is, qui ad dicendam causam compellitur, non nisi praesente eo, qui religiose consors est, audiatur .... l. 8: divisio inter Gothum et Romanum facta de portione terrarum sive silvarum nulla ratione turbetur ... nec de duabus partibus Gothi aliquid sibi Romanus praesumat aut vindicet, aut de tertia terra Romani Gothus sibi audeat aliquid usurpare aut vindicare. l. 9 De silvis, quae indivisae forsitan resederunt, seu Gothus, seu Romanus eas assumpserit et fortasse fecerit culturas: statuimus, ut si adhuc superest silva, unde paris meriti terra ejus, cui debetur, portioni debeat compensari, silvam accipere non recuset. Lib. X. t. 3. l. 5: Et tamen nullus novum terminum sine consortis praesentia, aut sine inspectore constituat.“ Ex his locis et aliis, quos producere longum est, satis elucet, unum Gothum habitasse cum Romano. Hoc probatur

Gothorum autem in Aquitaniam venientium erant, ubi minimum 550,000 capitum, familiarum ferme 90—100,000,[1])

etiam vetustiore, quam legum Wisigothorum auctoritate et ipsa aequalis Paulini Petrocorii, qui in Eucharistico canit, (inde a versu 498—502) . . . „Natis abeuntibus a me—non equidem paribus studiis nec tempore eodem— succensis pariter, sed libertatis amore, — quam sibi majorem contingere posse putabant — Burdigulae, Gothico quamquam consorte colono."

Unus tantum locus elegibus Wisigoth. (lib. X tit. I l. 3) huic (de singulis consortibus) opinioni adversa videri posset. „Si plures fuerint in divisione consortes, quod a multis vel a melioribus juste constitutum est, a paucis vel deterioribus non convenit aliquatenus immutari." Sed haec lex de heredibus loquitur, nam anteriore agitur de fratribus, posteriore de heredibus. cf. Gaupp. l. c. pag. 395.

[1]) Eunapius (ed. Bonnens. p. 48) tradit, Fridigero et Alavina ducibus 200,000 viros, qui arma ferre possent, Danubium trajecisse. Ex quo numero militum concludimus, 800,000 capitum in imperium Romanum recepta esse, Helvetiorum docti exemplo, qui inter 368,000 capitum 92,000 militum habebant, id est quartam totius populi partem (Jul. Caesar de bello Gallico I. c. 29.) Augebantur postea Gothorum copiae transitione ducum Suideri et Coliae cum eorum exercitu (Ammian. Marc. lib. 31 c. 4.) militumque familiis; deinde adventu Athanarici cum ea gentis parte, quae in regionem Caucalandensem se receperat (Ammian. Marc l. 27 c. 5. Zosim. IV. 25. 30. Jornand. c. 28. — Zeuss: Die Deutschen und die Nachbarstämme pag. 415). Quae quum ita sint, omnium Wisigothorum ultra flumen Danubii degentium minimum 1,100,000 fuisse, statuendum est. Posito etiam et concesso, dimidiam horum Gothorum partem aut ferro caesos esse, aut periisse fame et peste, aut meruisse in exercitibus imperatoris (cf. Zosimus V. 13—22), dimidiam tantum partem migrasse cum Alarico in Italiam, tamen eundem numerum 550,000 capitum, venisse in Aquitaniam probari potest. Nam quamvis multos conjicias deletos esse ferro et fame et morbis, dum per Italiam et Galliam et Hispaniam errant, horum damnum jam antea large effuseque expletum erat. Primum transitione 30,000 militum Germanorum Stilichoris (Zos. lib. 5 c. 35) deinde fuga 40,000 servorum in castra Gothorum, quum 408 Alaricus Romam obsidebat. Qui servi certe maxima ex parte germani erant. Nam Zosimus narrat in c. 40. lib. V., Alaricum poposcisse traditionem mancipiorum barbarorum, id est germanorum. Neque tantus manicipiorum germanorum numerus habet, de quo miremur, quum cognoverimus ex Orosii libri VII. cap. 37., infinitam multitudinem Germanorum et ipsorum Gothorum apud Faesulas captos esse et venditos. Praeterea quum Roma effugeret tanta servorum multitudo, ex aliis etiam urbibus Italiae multa germana mancipia ad gentem suam transfugisse colligere debemus. Si praeter illos, qui Roma effugerant, 30,000 conjicere licet, fiunt 100,000 transfugarum. His multo majora erant ea auxilia Gothorum et Hunnorum, quae Alaricus socerum Athaulfum ex Pannonia adducere jusserat (Zosim. V. 37). Quam-

quas omnes collocare non potes, si doctissimi Gauppii autoritatem sequens (l. c. § 46 pag. 345) conjicis, colonos, qui servi terrae essent atque glebae addicti in agris suis remansisse eadem conditione, qua antea, ea tantum diversitate, ut duae colonorum partes dominum Romanum cum Gotho mutassent.

Sed sine ullo dubio inter colonos multi erant, qui tantis agris gaudebant, quanti etiam advenam cum ejus familia alere possent; et tales fundos colonorum ex lege constituta divisos esse existimo, ut omnes familiae Gothorum suo foculo gauderent. Neque credi potest, e Gothorum consilio fuisse terras dividere ita aequabiliter, ut singuli Gothi terras paris pretii acciperent; nempe inter Gothos hominum status et conditiones diversae erant.

Regem fundos publicos sibi vindicasse, verisimile est et secundum rerum naturam, sed magnam partem donabat sine dubio comitibus suis et amicis et illis, qui honoribus illustriores erant.[1])

Quorum quum multi regem sequerentur in Tolosam urbem, neque ipsi agros colendos curarent, colendos committebant libertinis suis vel servis, frumenti modum vel pecoris vel pecuniae iis injungentes. Fortasse etiam veteribus con-

---

quam de numero mentio non fit, tamen negari non potest, eum magnum fuisse. Nam legimus in Zosimi libri V. cpt. 45, imperatorem Honorium, certiorem factum de Athaulfi ex Pannonia adventu, misisse universos milites, equites et pedites, quotquot in urbibus fuissent, cum ducibus, qui Athaulfi cum Alarico conjunctionem impedirent. Quod eis, quamquam multi erant, non contigit. Haud parvus autem esse debebat numerus barbarorum, contra quos universus romanus exercitus nil valeret. Attamen ne in majus rem extollere videar, 50,000 militum ab Athaulfo adductos esse pono. Qui tamen milites sine dubio cum uxoribus et liberis omnibusque bonis e Pannonia migravere. Quum enim barbari, qui illo tempore in exercitibus romanis merebant, uxores ac liberos secum ducerent (Zos. V. 34. 35.) tum maxime barbari, qui novam patriam quaererent, non stipendia. Ergo (Helvetiorum exemplo iterum innsus) 200,000 capitum fuisse cum Athaulfo aestimo. Summam facientes eorum Gothorum, qui ex Illyria venerant, (550,000) et Stilichoris militum (30,000) et manicipiorum transfugarum (70,000) et auxiliorum e Pannonia profectorum (200,000) efficimus 850,000 capitum. Quorum licet essent deleta in Italia, Gallia, Hispania 300,000, restabant 550,000 eorum, qui in Aquitania firmas sedes acceperunt.

[1]) cf. Leg. Wisig. IV. t. 5. l. 5—VI. t. l. l. 5. Quod pertinet ad fundos ecclesiae, eos a Gotho pio intactos remansisse existimo.

ductoribus Romanis ex syngrapha vel e placito canonis agri relinquebantur colendi.[1])

Reliqui Gothi militari modo distributi in Thiufathias, et centenas et decanias in regiones designatas profecti sunt, ubi terras secundum honorem et dignitatem inter se dividebant, ita ut ducibus et civibus optimo jure majora praedia evenirent, minoribus et libertinis agelli et colonorum exigui agri assignarentur. Ad dominum igitur Romanum designatum singulae Gothorum familiae pergebant, hospitium quaerentes et tectum.

De aedificiorum divisione, quae necessaria esse debebat leges Wisigothorum nil tradiderunt, sed ea tantum de causa, conjicio, quod eorum divisiones mox certas esse necesse erat, neque posterioribus legislatoribus controversiae de ea re componendae erant. Burgundionum leges, quae tempore conscriptae sunt, quod a tempore divisionis minus remotum erat,

---

[1]) Leg. Wisig. X. t. I: l. 9. 13.

Reputanti, Gothos jam inde ab anno 376 consuetudinem agri colendi deposuisse, verisimile videri possit, eos firmis etiam sedibus, agricultura neglecta, agros veteribus incolis ad placitum canonis dedisse, ipsos laboris fugientes venationi deditos fuisse et conviviis. Cui opinioni minime assentio, sed eam refutandam existimo, ea ratione, quod tanta advenarum multitudo in regione, quae fame et bello deserta hominibus carebat, (cf. epistolam Hieronymi ad Ageruchiam in Hieronymi operibus editis Coloniae) ali non poterat, quin ipsi laborarent Nam numerum incolarum totius Galliae centies quinquagies centenorum milium fuisse censentes (cf. Wietensheim Geschichte der Völkerwanderung Buch I p. 207—13; Zumpt: Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum p. 46—49) efficimus pro parte tredecim civitatum Gothis concessarum, id est pro septima totius Galliae parte, vicies centena milia incolarum Romanorum, inter quos dimidiam ferme partem agricolarum conditioni adscriptum fuisse conjicimus. Itaque, ubi unus Gothus, duo tantum erant Romani agricolae. Qui numerus Gothum feriari non permittebat. Praeterea ipsorum aequalium scriptis probatur, Gothos agros colendos curasse. Primum Philostorgius (l. c.) affirmat, Gothis quandam Galliae partem datam esse a d ex c o l e n d o s a g r o s; deinde Orasius narrat barbaros, ex secratos gladios suos, a d a r a t r a conversos esse. (lib. VII c. 41); quamquam Suevos et Vandalos et Alanos intelligi vult, tamen Gothorum ingenium ad agriculturam minus inclinasse, quam istorum, nemo contendat. Paulinus Petrocorius denique universe de Gotho loquens colonum eum nominat (Eucharisticon v. 502.).

constituunt, ut domus et horti ita dividerentur, ut et Romanus et advena dimidiam partem teneret.[1])

Quam legem etiam apud Gothos fuisse opinor. Gothorum enim leges, quod pertinet ad divisionem terrarum, nunquam aliquid praescribunt Burgundionum legibus adversum; neque hoc mirum est, quum utrique ex pactione novas sedes accepissent cum veteribus incolis dividendas. Neque alienum sit conjicere, quum reges e Wisigothorum gente migrassent ad Burgundiones [2]) et religio ariana,[3]) horum etiam leges de Wisigothis transiisse ad Burgundiones. Itaque, quum leges Wisigothorum silent, idem quod Burgundionum leges constituunt, Wisigothorum etiam legibus constitutum fuisse conjicere liceat, si quidem res apud alium populum aliae non sunt.

De manicipiis dividendis a Gothis nil traditum esse dolemus. Sed de ea quoque re constituit Burgundionum lex, ut eorum tertia pars advenis eveniret[4]); legum Wisigothorum silentium et taciturnitas eadem ratione explicanda est, qua silentium de dividenda domo et horto, hac scilicet, quod mancipiorum divisiones mox certas esse necesse erat. Praeterea Romani, postquam advenis duas tertias partes agrorum cultorum cessere, parte mancipiorum non solum facile carere poterant, sed etiam superfluorum onere levari cupere debebant. Gothis contra ad agros bene colendos majore mancipiorum numero opus erat, quam secum ducebant[5]). His quas ex posui rationibus adductus sum, ut credam, mancipia quoque divisa esse inter Gothos et Romanos, sed dubito, an alia quadam ratione, atque apud Burgundiones; aliae enim esse debebant hujus rei necessitates apud Gothos, aliae apud illos.

---

[1]) cf. Leg. Burgundionum, tit. 54. § 3.

[2]) Gregorius Turonensis II. 28.

[3]) idem II. 32.

[4]) Leg. Burgund. tit. 54. § 1.

[5]) Mihi quidem e natura rerum sequi videtur, Gothorum servos non multos fuisse. Nam quum jam diu firmis sedibus et agricultura carerent, ideoque nullum emolumentum habere possent e servis, multos sine dubio manu miserant. Captivos, quippe qui emolumentum non praebebant, et quos per multos annos in terra hostium custodire perdifficile erat, mox ab eis venditos esse existimo.

Cetera quoqùe agrorum instrumenta divisa esse, haud dubium esse potest.

Quod pertinet ad agrorum divisionem, ea non statim certa fuisse videtur, sed fiduciaria, ut ita dicam; quod quidem elucet ex hoc loco. legum: „Divisio inter Gothum et Romanum facta de portione terrarum sive silvarum nulla ratione turbetur, sit tamen probatur celebrata divisio“[1]).

Postero tempore, quum certa divisio necessaria esset, ea facta esse videtur, parentibus et vicinis adjutoribus, quod quidem probat ejusdem legis reliqua pars: „Sed quod a parentibus vel vicinis divisum est, posteritas immutare non potest.“

Silvarum divisio minus necessaria erat; earum usus initio communis erat. Postea autem, quum crescente jam incolarum numero agri ad alendos cultores non sufficerent, agrosque silvestres exstirpari necesse esset, lege constitutum est, ut exstirpator (si quidem divisio nondum facta esset) agrum exstirpatum suo quidem jure teneret, ea tamen conditione, ut silvam paris pretii consorti concederet; si silva paris pretii non superesset, agrum exstirpatum dividendum esse lex praescribit. At utar verbis ipsis, quae scripta sunt:[2]) „De silvis quae indivisae forsitam resederunt, seu Gothus seu Romanus eas assumpserit, et fortasse fecerit culturas: statuimus, ut si adhuc silva superest, unde paris meriti terra ejus cui debetur portioni debeat compensari, silvam accipere non recuset. Si autem paris meriti quae compensetur silva non fuerit, quod ad culturam scissum est, dividatur.“

Qua lege elucet, Gothis dimidiam tantum partem silvarum cessam fuisse; quod quidem cum legibus Burgundiorum correspondet.[3]) Pascuorum tandem eadem (dimidia) pars advenis concessa; quae tamen diu resederunt indivisa, communi consortium usui patentia; quamquam suam cuique consorti licebat portionem septo circumdare. Hoc constituitur lege quinta tituli quinti libri octavi legum Wisigothorum in qua: „Consortes vero vel hospites nulli calumniae subjaceant: quia illis usum herbarum, quae conclusae

---

[1]) Leg. Wisigoth. X. tit 1 l. 8.

[2]) ibid. l. 9.

[3]) Leg. Burg. lit. 54. § 2.

non fuerant, constat esse communem. Qui vero sortem suam totam forte concluserit, et aliena pascua, domino absente, invadit, sine pascuario non praesumat, nisi forte dominus pascuae voluerit."

Concedendum quidem est, hujus legis verbis dimidiam pascuorum portionem non lucide probari, quum possit, ut Gotho majorem partem pascuorum septo circumdare liceret, quam Romano, iis tantum communibus, quae conclusa non erant; sed quum etiam Burgundionum lex[1]) medietatem pascuorum inter Romanum et Gothum constituat, dubitari non potest, quin apud Gothos quoque res ita se habuerit.

Agrorum igitur cultorum Gothi poscebant duas tertias partes, silvarum et pascuorum dimidiam. Qua ratione si quis adduceretur, ut concluderet, Gothorum indolem atque ingenium inclinatius fuisse ad agriculturam, quam ad rem pecuariam, errore captus esset. Posito enim et concesso, Wisigothos citra Danubium degentes jam illum cultus atque humanitatis gradum ascendisse, quis negat, eos hoc, quod tractamus, tempore, quum jam per multos annos sedibus firmis caruissent, neque agriculturam exercere potuissent, neque liceret secum ducere nisi greges, quis est, qui neget, eos ad rei pecuariae studium relabi necesse fuisse.

Sed ne istud quidem concedi potest; probatur etiam historia, eos tempore primae in imperium migrationis rei pecuariae potissimum studuisse. Narrat enim Ammianus Marcellinus in libri 31 c. 3 de Gothis: „Populi pars major quaeritabat domicilium remotum ab omni notitia barbarorum; diuque deliberans, quas eligeret sedes, cogitavit Thraciae receptaculum gemina ratione sibi convenientius, quod et caespitis est feracissimi et amplitudine fluentorum Istri distinguitur a barbaris. . ."

Pascua igitur quaeritabant bono caespite excellentia, non agros. Ergo illius divisionis causa et ratio non posita erat in majore agriculturae studio; explicanda est potius illo more, omnibus populis pastoriis communi, secundum quem pascua cum silvis communi usui patent.[2]) Hunc morem a Wisigo-

---

[1]) cf. Leg. Burgundion. tit. 31. § 1.

[2]) cf. Grimm: Deutsche Rechts-Alterthümer p. 501 et seq.

this observatum videntes jure concludimus, eorum indolem et ingenium rei pecuariae magis favuisse, quam agriculturae.

Vectigal pro solo agri Wisigothi non solvebant; quod lege 16 tit. 1 libr. X probari Lembke docuit.[1]) Haec sunt legis illius verba: „Judices singularum civitatum, villici atque praepositi tertias Romanorum ab illis, qui occupatas tenent, auferant, et Romanis sua exactione sine aliqua dilatione restituant: ut nihil fisco debeat deperire."

Tributa Romanorum inter barbaros degentium admodum levata esse non dubito; aliter enim explicare non possumus, qua ratione Salvianus et Orosius perducti sint, ut pauperi libertati eorum, qui inter barbaros degebant, tributariam sollicitudinem eorum, qui imperio subjecti erant, opponerent.[2])

Haec de divisionis ratione ac modo dicta sufficiant; lucidum rerum imaginem dare non possumus; quum de multis atque magnis rebus, quae divisionem pertinent, scriptores nil tradidisse dolemus, tum de maxima illa omnium rerum perturbatione, quae adventum Gothorum et occupationem terrae sequi debebat.

Urbani, mercatores, artifices, opifices nullum fortunarum damnum subiere; econtra infinitae multitudinis invasio novos emptores eis afferebat et qui opificum opera utebantur; neque eos magna misericordia miserorum rusticorum commotos fuisse verisimile est. O miseros rusticos! Repraesentes menti, tuae amice, dominum Romanum, hospitem Gothum: Hunc ferociter poscentem, quod sui juris esse putat, illum, a propria republica desertum, avitum tectum et lares amicos verbis saltem et rixis defendere conantem. At sine dubio saepe eveniebat, ut Gothus irritatus vim adhiberet, ubi verba deerant, et Romanum desperantem ex ea etiam possessionis parte expelleret, quam ipsa dura pactio asylum constituerat (cf. Leg. Wisig. X. tit. 1 l. 16). Quo factum est, ut multi patriam relinquere et in terra aliena exules vivere cogerentur. Durum profecto saeculum! duros homines! duras res, quas animus humanus mallet praeterire.

Sed datur nobis a Salviano,[3]) ut ita dicam, solamen ju-

---

[1]) Lembke: Geschichte Spaniens Band I. pag. 193.

[2]) Orosius lib. VII. c. 41 Salv. de gub. Dei passim.

[3]) de gub. Dei lib. VII. p. 132.

stitiae; qui affirmat: e providentia Dei id factum esse, ut qui divitiis suis abusi luxuria peccassent et arrogantia, exules vagarentur.

Legentibus denique, exules ipsis miseriis conversos non esse ad virtutem, misericordia ipsa, quamvis sit cordi humano innata, evanescit.

At vero sacerdos monitor reticet, probos etiam et honestos viros, patria expulsos, miserias perpessos esse more philosophorum et christianorum, ut Paulinus ille, qui in Eucharistico fortunae suae vicissitudines describit.

In tantis injuriis gaudemus cognitione, fuisse inter Gothos viros probos et humanos, qui injurias inermibus hominibus illatas condemnarent et sanare studerent. Curiosum talis animi exemplum tradidit nobis idem Petrocorius Eucharistici versibus 569—79. Facere non possum, quin suaves et dulces versus incolumes producam:

„Nunc quoque sic ipsum juvenascere posse dedisti, (Deus!)
„Ut cum jam penitus fructus de rebus avitis
„Sperare ulterius nullos me posse probasses,
„Cuncta quippe etiam, quae jam tenuatus habere
„Massiliae potui, amissa jam proprietate,
„Conscripta adstrictus sub conditione tenerem;
„Emptorem ignotum mihi de gente Gothorum
„Excires, nostri quondam qui juris agellum
„Mercari cupiens pretium transmitteret ultro,
„Haud equidem justum, verum tamen accipienti —
votivum fateor.“[1])

Maximi momenti fuisset Romanis regno Gothico subjectis, si majores imperii romani officiales, ut praesides provinciae, adfuissent; quorum praesens auctoritas romana lingua loquentibus magnum contra Gothorum arbitria et injurias praesidium fuisset. L'histoire du Languedoc praesidum administrationem et potestatem in regionibus barbaris concessis valuisse vult. Scribitur illic in pag. 179a: „L'Aquitaine seconde, quoique cedée aux Wisigoths, devait alors avoir un gouverneur romain sous la dépendance du vicaire des sept provinces; et ce dernier devait par conséquent étendre sa

---

[1]) cf. Hibbon: History of the decline and fall of the roman empire c. XXXI.

jurisdiction sur toute la partie des Gaules cedée à ces peuples.“ Haec statuens L'histoire du Lang. innititur in notitia dignitatum (apud du Cherne Tom. I. p. 1); quae inter praesides provinciarum memorat praesidem Aquitaniae II^ae^. Si hujus provinciae praeses in regno Gothico administrationem et potestatem exercuisset, hujus regni relationis ad imperium nova, ut ita dicam, luce illustrarentur: rex enim aestimandus esset Romanus tantum dux, cui administratio terrae occupatae non concessa esset, praeter regnum de popularibus. Sed quamquam erat ex opinione Caesarum, terras barbaris concessas societatem imperii non relinquere, quamquam igitur potest, ut earum vindiciarum affectandarum causa aliquis nomine praesidis Aquitaniae II^ae^ ornaretur, tamen, hoc nomen honorificum aliquid valuisse ad administrationem, vel jurisdictionem, omnino negandum est.

Quod optime refutatur his Salviani verbis: „Unum illic (inter Gothos) et consentiens Romanorum omnium votum est, ne unquam eos necesse sit in jus transire Romanorum.“ (de gub. Dei lib. V. p. 94. 95.) Haec verba explicatione non indigent.

Ultimum igitur Romanorum praesidium contra injurias barbarorum in justitia regis positum erat.

Cap. II.

De rebus gestis usque ad bellum Narbonense.

Per primos igitur regni annos Theodoricum regem fingimus ordinantem lites, ferentem sententias. At certe per hoc tempus copias militares augendas minime neglexit. Et re vera tertio anno post ejus adventum in regnum videmus Gothos pugnantes in Hispania contra Vandalos, quibuscum Romani bellum susceperant.

In Hispania Vandali, a Gothis sibi nulla pericula imminere rati, Suevorum foedere rejecto, quibuscum antea eis

societas fuerat adversus victorem Walliam, beneficiorum acceptorum immemores, bellum movent contra Suevos; quibus frustra obsessis in Nervasis montibus, descendunt in provinciam Boeticam, unde in finitimas Romanorum regiones incursiones faciunt depraedatum.[1]) Romani, hoc rapace populo exstincto, Hispaniam quietam fore rati, magno exercitu comparato, Castinum magistrum militum mittunt, qui barbaros puniret.[2])

Theodoricus quoque commovebatur, ut opes auxiliares Gothorum cum Romanis jungi juberet, sive Romanorum foedus et amicitiam sibi adhuc necessariam esse existimans, sive vetere Gothorum in Vandalos odio excitatus, sive ingentis praedae in Hispania agendae spe perductus.

Castino optime exercitum contra hostes dirigenti contingit, quod jam saepissime Romanis contigerat contra barbaros; evenit, ut Vandali obsessi tenerentur a Romanorum et Gothorum conjuncto excercitu, commeatu interclusi.

Et jam traditionem parabant, quum Romanus, a tali hoste patriam defendi non posse, nisi deletione ratus, inconsulte signum dedit ad impetum, qui in suam versus est perniciem; nam in hoc discrimine rerum a sociis desertum ab hostibus fusum fugatumque[3]) salutem fuga petivisse Idatius tradit.[4])

Ad haec Idatii verba de auxiliorum Gothorum fraude aliquid addendum esse existimo. Certum esse mihi videtur, Gothos non eo consilio Castino opes attulisse, ut Vandali a Romanis funditus delerentur, quum talem de fortissimis viris triumphum deportatum Suevorum etiam jam debilitatorum cladem sequi necesse esse. Omnium vero Hispaniarum occupationem Gothis perniciosissimam fore Theodoricus sine dubio intellexit. Qui belli ardore aut praedae agendae spe illam expeditionem susceperant, sese, Vandalis et Suevis exstinctis, contra Romanorum superbiam et arrogantiam socios strenuissimos amissuros esse haud ignorabant.

---

[1]) Idatii episcopi chronic. ad annum 420 et 21. — Sulpic. Sever. chron.

[2]) Prosp. Aquit. chronic. Honorio XIII. et Theodosio X.

[3]) Prosper Tiro ad annum 422: „viginti ferme milia militum in Hispaniis contra Vandalos pugnantium caesa."

[4]) Idat. chronicon Goth. ad annum 422: „ . . ut jam se tradere pararent, inconsulte publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus, ad Tarraconem victus effugit."

Quibus considerationibus Gothos permotos esse censeo, ut, Vandalorum exstinguendorum consilio non comprobato, a pugna sese reciperent. Fortasse etiam Castini ingenium, quod Prosper Aquitanicus discors et superbiens describit, causa fuit Gothorum reditus.[1])

Haec Vandalorum victoria eorum opes firmavit; nam hunc triumphum multarum urbium ad mare sitarum expugnatarum eventus secuti sunt: quo factum est, ut brevi tempore post Romanorum cladem classem adpellerent ad insulas Balearicas depraedatum, in ipsam etiam Africam expeditionem susciperent.[2])

Romanis vero illa dies multarum cladum multorumque laborum initium fuit. Paulo post Johannes Primicerius (scilicet scribarum regiorum) Castini fraudibus adjutus, penes quem summum imperium militare erat, tyrannidem arripere conatus est, quae duorum annorum spatium miseriis belli civilis implevit.[3])

Quum per hoc tempus, opportinissimum dilatandis finibus, de Gothorum motibus nusquam mentio fiat, haud alienum sit putare, contigisse Castino, (qui totius rebellionis auctor et dux habendus erat)[4]) ut Theodoricum conciliaret, eumque commoveret, ut intra fines suas quietus remaneret. Quibus promissis id contigerit, minime elucet, quod per hoc spatium de Gothis mentio omnino non fit. Attamen opinari licet, Gothum sperasse, se ipsis rei publicae Romanae principibus annuentibus regnum aucturum esse, eaque spe perductum Galliae pepercisse. Et re vera, simulatque, Johanne interfecto, Castino devicto et in exilium acto, Valentinianus

---

[1]) Prosp. Aquit. chronic. Honorio XIII. Theodosio X.

„Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cui Castinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis ártibus praeclarum inepto et injurioso imperio ab expeditionis suae societate avertit. Nam ille perniciosum sibi et indignum ratus eum sequi, quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum Urbis, inde ad Africam proripuit."

[2]) Idatius chron. ad annum 425. Sulp. Sever. chron.

[3]) De Johannis tyrannide cf. Wurm: De Aëtii rebus gestis dissertat. inaug. Bonnae 1844. p. 13 sq.

[4]) Prosp. Aquit. ad ann. 423 (Theod. XI. et Valent.): „Castinus in exilium actus est, quia videbatur, Johannem sine conniventia ipsius regnum non potuisse praesumere.

rerum potitus est et secundum Placidiae matris consilia imperium regere coepit, Theodoricus rex hostis Romanorum exstitit. Placidia fortasse ea promissa, quibus Castinus et Johannes regis amicitiam assecuti fuerant, neglexerat, victori suo exercitui fisa.

Qua de causa Theodoricius iratus, exercitu comperato, bellum minatus esse videtur. Obveniunt Romani, pacis et amicitiae conditiones offerentes; quibus recusatis (rex enim pacem servare nolebat, nisi ea conditione, ut fines regni dilatarentur) Gothorum exercitus fines transgressus Arelatem urbem obsidione premere incipit anno 425.[1])

Urbs Arelatensis tum temporis nobilissima erat totius Galliae. A Constantino imperatore insignis reddita est cognomine Constantinae.[2]) Imperator Honorius anno 418 praeceperat, ut eo quotannis stato tempore summi septem provinciarum magistratus et agrorum possessores convenirent, vel legatos mitterent, qui de rebus ad salutem provinciarum suscipiendis consulerent. Illa imperatoris constitutione urbs Arelatensis summis laudibus effertur. Quum ex imperatoris verbis optime urbis momentum cognoscatur, nonnullos ex ea locos subjiciam.[3])

„Maxime opportunum et conducibile judicamus, ut servata posthac annis singulis consuetudine, constituto tempore, in Metropolitana, id est in Arelatensi urbe, incipiant septem provinciae habere concilium. . . . Ac plane praeter necessitates publicas etiam humanae ipsi conversationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina urbe jubemus singulis annis esse concilium. Tanta enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur.

Neque enim ulla provincia ita peculiari felicitate laetatur, ut non haec propria Arelatensis soli credatur esse foecundi-

[1]) Prosp. Aquit. ad h. a. — Isidor. chron. Goth.: „Theodoricus regno Aquitanico non contentus pacis Romanae foedus recusat, exercitum movet, Arelatem nobilissimum oppidum Galliae obsidet.“ — Prosp. Aquit. hanc obs· ad annum 425 refert. Tiro anno post (26) Arelatem liberatam esse ab Aëtio scribit. Inde concludendum, ann. 425 obsidionis initium fuisse, ann. 426 finem.

[2]) Manso: Leben Constantins des Grossen p. 363 seq.

[3]) Secutus sum edit. Wenckii.

tas. Quicquid enim dives Oriens, quicquid adoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fortis Gallia potest habere praeclarum, ita illic affatim exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quae ubique constat esse magnifica.

Jam vero decursus Rhodani, et Turoni recursus, necesse est, ut vicinum faciant ac paene conterminum vel quod iste praeterfluit, vel ille quod circuit. Quum ergo huic serviat civitati, quicquid habet terra praecipuum, ad hanc velo, remo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quicquid singulis nascitur: quomodo non multum sibi Galliae nostrae praestitum credant, cum in ea civitate praecipiamus esse conventum, in qua divino quodam munere commoditatum et commerciorum opportunitas tanta praestatur?"

Ad quam magnam commercii opportunitatem maxima opportunitas ad expeditiones suscipiendas accedebat. Hac urbe amissa, Romanis deerat via, per quam dirigerent copias in Galliam septentrionalem. Nam illa, quae ex Italia per Arelatensem urbem in regiones septentrionales Galliae ferebat, non solum commodissima erat, sed etiam sola. Illis enim viis, quae ferebant ex Italia per Alpium montes in Septentrionem, uti non poterant, quippe quae a Burgundionibus et Allemannis occupatae erant.

Adde propinquitatem maris, a cujus periculis urbs modico spatio defensa erat, cujus commodis et fructibus non carebat.

Quae omnia efficiebant, ut, qui Arelatem occupatam tenebat, Galliam dominaret. Theodoricus igitur ad summa rerum aspirasse videtur, dum propugnaculum istud Romani imperii in Gallia oppugnat.

Quae quum ita essent, praevideri poterat, Romanos non quietos adstituros, maximamque urbem in Gothorum potestatem venire passuros esse. Et revera paulo post, quam de motibus in Gallia certiores facti sunt, Aëtium cum exercitu in Galliam miserunt; qua Aëtii electione perspicuum faciebant, quanti haberent urbis Arelatensis possessionem. Aëtius enim, vir strenuus, prudens, belli peritissimus neque minus insignis arte reconciliandi verbis eos, quos armis vicerat, solus Theodorici regis ingenio par erat. Cujus adventu obsessorum et obsidentium conditio mutata est. Aëtium cum

Theodorico pugnasse nusquam narratur; id solum traditum est[1]) Gothos imminente Aëtio non impunitos abscessisse ab urbe. Fortasse Theodoricus de Aëtii adventu certior factus et de urbe expugnanda desperans, castris motis sese recepit, in quo receptu aut ab oppidanis prosequentibus, aut ab Aëtii militibus invasus esse videtur. Quo proelio si fugatus est, certe brevi tempore Martem reconciliavit; legimus enim, pacem conclusam esse inter Romanos et Gothos, secundum cujus conditiones a Romanis obsides ex nobilissimis familiis Galliae dati sunt[2]), inter quos Theodorus, propinquus imperatoris et episcopi Aviti. Qua pace Theodorici cum Romanis amicitia firmata est, neque recusavit rex copias suas, quum Romani iterum bellum contra Vandalos suscipiendum esse admonerent.[3]

Quorum rex Gundericus post victoriam de Romanis Castino duce reportatam, cujus supra mentionem feci, portu ad mare mediterraneum sito potitus, anno 425 insulas Balearicas, ante hoc tempus a barbaris inviolatas, adpulerat.

Qua expeditione feliciter finita, maximis Hispaniae meridionalis urbibus non pepercerat. Carthaginem, Sparteriam, Hispalim oppugnat, expugnat, expugnatas delet. Tum provinciis Romanis crudeliter vastatis, mari trajecto, Mauritariam invadit. Contra hunc regem victorem, cujus gloria Gothorum gloriam aequatura esset, Theodoricus exercitum duxit anno 427. Hujus primi anni eventus parvi fuerunt, nisi quod Hispalis capta est[4]). Anno 428, quum bellum continuaretur,

---

[1]) Prosp. Aquit. ad. ann. 425: „Arelas, nobile oppidum Galliorum a Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aëtio non impuniti abscederunt.“ Prosp. Tiro ad an. 426: „Arelas a Gothis per Aëtium liberatur.“

[2]) Sid. Apoll. in panegyrico Aviti v. 213 seq.

„Variis incussa procellis
Bellorum regi Gothico tua Gallia pacis
Pignora jussa dare est: inter quae nobilis obses
Tu, Theodore, venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in media pelliti principis aula
Tutus, Avite, fide.“

[3]) Cassiodor. chronic. Hierio et Ardaburio (427): „Gens Vandalorum a Gothis exclusa ad Africam transit.“ — Jornand. de reb. Get. c. 33.

[4]) Idatius ad ann. 426 Hispalim a Gunderico captam esse memorat; anno 428 Hispalim iterum captam esse contedis, quare a Gothis eam expugnatam esse anno 427 colligo.

Gunderico contigit, ut Hispalim iterum in suam potestatem redigeret. Quae ultima Vandalorum regis gloria fuit, quum paulo post diem obiret extremum. Successit fratri illustri frater illustrior Geisericus, qui certe maximus Vandalorum rex fuit, et qui jure cum celeberrimis Wisigothorum et Ostrogothonum regibus comparatur. Eodem fere tempore Bonifacius, praefectus Africae, Aëtii artibus et dolis eo compulsus est, ut ab imperatore Valentiniano deficeret; qui, quum valido exercitu sibi opus esse intelligeret, ut defectionis poenam evitaret, legatos mittit ad Vandalorum regem juvenem: „uti in Africam transiret et Bonifacio contra Romanorum exercitus opem ferret; quod si efficeret, illum tertiam agrorum partem Vandalis cessurum esse.[1]) Adnuit rex perpendens sine dubio, sese triplici a Gothis et Romanis et Suevis (nam et Suevi ei hostes exstiterant) periculo difficillime in Hispania resistere posse. Collectos igitur Vandalos cum uxoribus et liberis et omnibus bonis in Africam sese recipere jubet. Suevorum exercitum in tergo sequentem cruento proelio ad Anam flumen fugat. Deinde Vandali omnes cum Alanis et quibusdam Gothis[2]) foederatis, freto trajecto, in Africam transeunt.

---

[1]) cf Procop. de bello Vandalico lib. I c. 3. sq.

[2]) Possidius in vita St. Augustini (c. 28) scribit, „Geisericum secum habuisse commixtam Gothorum gentem;" idem narratur in chronic. Ruin. ap. Roncall. Tom. II p. 260. — Zeuss (l. c. p. 453 not. I) in universum huic narrationi fidem adhibet, ita tamen, ut hos Gothos arianos Vandalorum sacerdotes fuisse velit. Papencordtium (Geschichte der vandalischen Herrschaft in Africa) de ea re nil scribere doleo. Doctissimus Aschbachius Possidio fidem adhibendam esse negat; de rationibus autem silet; equidem non dubito, quin ea ratione perductus id negaverit, quod verisimile non esset, Wisigothos, qui contra Vandalos modo pugnassent, qui etiam firmis in Gallia sedibus gauderent, subito ex hostibus amicos factos esse et foederatos ad Africam invadendum. Quod quidem concedendum. At de Wisigothis, sub Theodorico in Africa sedentibus, Possidius non loquitur Erant autem praeter hos Gothos, quos Alaricus in Occidentem duxit, alii etiam: Cum Radageiso magnus erat numerus Gothorum, de quibus Orasius (VII. 37) et Augustinus (de civitate Dei 5. 23). Alii erant in Thracia, alii in Asia, alii in Pannonia (Zosim. IV. 38. V. 37 Ammian. Marcel XXVII. 5) Communi jam patria carentes patrumque sedibus expulsi alius aliam patriam quaerebant. Quid mirum, cum Vandalis irruptionem facturis in Galliam et Hispaniam quasdam Gothorum manus in Pannonia vagantium sese conjunxisse? Hieronymus in epistola ad Ageruchiam l. c. praeter Quados, Vandalos, Sarmatas, Alanos, Gepidas, Herulos, Saxones,

Jornandes narrat, anno 427 (Hierio et Ardaburio Css., duodecimo anno post adventionem Waliae in regnum) regem Gothorum (quem Waliam nominat pro Theodorico) tali ira et odio accensum fuisse in Vandalum hostem, ut etiam in Africam eum voluisset persequi; at classe ad hujus expeditionis usum comparata, horribili tempestate deleta, regem Tolosam reversum esse. Haec Jornandis narratio de expeditione navali in Africam sine dubio vera non est; idem enim tradidit de Walia ad annum 416 vel 417 Orosius aequalis, cui certe fidem habere debemus.

At ex illo Jornandis errore non licet concludere, Gothos omnino non participes fuisse expeditionis contra Vandalos inde ab anno 427.[1]) Neque ea de causa illam negare licet, quod aequales de expeditione Gothica contra Vandalos nil tradidissent; equidem unam Cassiodori auctoritatem sufficere puto, qui Hierio et Ardaburio Css. a Gothis contra Vandalos pugnatum esse autor est; quamquam eum errore captum fuisse scimus, quum Vandalorum gentem eo ipso anno 427 Hispania exclusam esse narret. Ab aequalibus vero hujus expeditionis non fit mentio, quod proeliis cruentis non fuit insignis[2]); posteriores autem rerum scriptores, qui et discrimen et momentum migrationis illius Vandalicae cognossent et a parte Gothorum starent, memoria dignum esse putavere, a Gothis expulsos esse Vandalos in Africam.

Neque levis momenti, ut id credam, hanc rationem duco, quod Vandalos, quin premerentur ab hostibus potentibus, Hispaniam amoenissimam et fertilissimam reliquisse verisimile non est.

Quibus expositis, progrediamur ad ea, quae restant. Anno 430 quandam Gothorum manum, Anaolpho optimate eorum capto, haud procul de Arelate ab Aëtio deletam esse legi-

---

Burgundiones, Alemannos hostes etiam Pannonios Gallias invasisse scribit. Quos hostes Pannonios Gothos fuisse conjicio. — De Geiserici in Africam transitu cf. Idat. chronic. ad annum 429; Cassiod. Hierio et Ardaburio; Procop. de bello Vandal. l. C. 3—5; Victor Vitensis de persecut. Vandal. I. C. 1. — Possidius in vita St. Augustini; Ruin. chron. Isidor. chronic. Gothorum.

[1]) cf. Papencordt l. c. p. 383—388.

[2]) Jornand. c. 32 (Rex) „nobilitatus namque intra Hispanias incruentaque victoria potitus Tolosam revertitur.“

mus[1]) Analophus ille quis fuerit plane nescimus, neque qua ratione pax cum Romanis rupta sit. Aschbachius[2]) contendit, hoc bellum motum esse a Gothorum rege, qui Romanos Inthurgorum, Nororum et Francorum incursionibus premi cognovisset, eamque optimam occasionem ad capiendam Arelatem censisset. Cujus opinioni minime assentio, Theodoricum regem non inter illos barbaros duces habendum esse ratus, qui perfidia magis, quam armis triumphos deportare studeant, sed his potius adnumerandum, qui rem publicam non stabilem esse putent, nisi quae fama fidelitatis inter vicinos excellat. Neque in Theodorici mentem spes venire poterat, aliquem optimatem cum parva (quadam) manu capturum esse urbem bene munitam, quam ipse per longum tempus frustra oppugnasset. Itaque adductus sum, ut credam, hanc expeditionem rege inscio susceptam esse ab aliquo optimate, praedae agendae causa. Sed quum hanc rem minus perspiciam, quaestionem in medio relinquo.

Hoc tempore imperium Romanum cruentis bellis intestinis lacerabatur, quum Bonifacius, (qui, dum Johannes rerum potitus est, Africam provinciam in fide erga Placidiam ejusque filium tenuerat) Aëtii aemuli fraudibus ad rebellionem compelleretur. Scribit de hac re Procopius[3]): „Aëtius apud Placidiam regnum eum (Bonifacium) adpetere criminatus est; et ipsi et imperatori Africam erepturum; facile autem dixit esse rem explorare: si enim Romam Bonifacium vocaret, non venturum. Haec ut audivit Placidia, Aëtii consilium sequitur. At occuparat jam Aëtius clam scribere Bonifacio, matrem imperatoris insidias ipsi struere; cujus rei indicium praedixit, fore, ut sine causa subito revocaretur. Has litteras minime sprevit Bonifacius.“ Eheu! quanta erat honestatis Romanae ruina, quanta perfidia eorum virorum, penes quos summum imperium erat, quum jam odium privatum furtunae universae reipublicae anteponerent! Romani, qui Romanae ipsi reipublicae fidem non servarent, foedera cum barbaris icta sine dubio observanda non esse aestimabant!

---

[1]) Idat. ad ann. 430: „Per Aëtium comitem haud procul de Arelate quaedam Gothorum manus extinguitur, Anaolpho optimate eorum capto.“

[2]) Aschbachius l. c. p. 116.

[3]) cf. Procop. l. c. lib. I. c. 3.

Sed redeamus ad proposita.

Bonifacius igitur, si in Italiam veniret, metuens, ne honores amitteret, rebellionis consilium cepit; et quo facilius imperatori suo resisteret, Vandalos ex Hispania in Africam accivit. Quorum auxilio adjutus prospere bellum gessit. Attamen certo mox intelligebat, Geisericum regem suo potius arbitrio et pro suis commodis, quam pro ipsius imperio pugnaturum esse; neque sibi eventurum rebellionis fructum, sed barbaro.

Quare factum est, ut, Placidiae Augustae conditionibus acceptis in obedientiam rediret. Quae reconciliatio effecta est, intervenientibus Dario comite, Placidiae legato, et Augustino episcopo, qui magna familiaritate cum Bonifacio utebatur.

Quae quum ita essent, Bonifacius, ut Vandalos, modo socios rebellionis et criminis consortes, ex Africa re moveret, enitebatur, sed frustra. Itaque bellum contra Geisericum gerere coepit. Sed ut pactiones nil valebant adversus Geiserici versutum ingenium, ita etiam peritia belli ad expellendum hostem non sufficiebat. Bonifacius proelio devictus intra Hipponis regii moenia sese recipere coactus est; ubi obsidionem quatuordecim mensium perpessus iterum cum barbaris proelio dimicare conatus est, quum auxilia accepisset Roma et Constantinopoli missa.

Iterum fugatus Hipponem, cujus opes jam attritae essent, praepotenti hosti cessit.

Mox auxilia ex Oriente missa Constantinopolim revocata sunt; neque Bonifacius diutius in Africa remanebat, quum a Placidia in Italiam reverti juberetur. Tota igitur Africa Vandalorum populationibus et crudelitati patebat.[1])

Haec dum geruntur in Africa, Romae res mutatae sunt. Ubi Bonifacii factioni contigerat, ut Augustae persuaderent, illum innocentem esse seditionis Africanae ejusque tristium eventuum. Neque minus enitebantur, uti probarent, Aëtii potentiam, (qui interea ad dignitatem ducis utriusque militiae[2]) evectus exercitum optime armatum ducisque nutui obe-

---

[1]) cf. Procop. de bello Vandalico lib. 1. C. 3. seq. — Wurm: „de Aëtii rebus gestis“ dissert. inaug. Bonnae 1844. pag. 35 et seq. Popencordt l. c. p. 65 sq.

[2]) Idat. ad. annum 430.

dientem imperatoris more regebat) reipublicae perniciosam esse. Summam potestatem revera non tam penes imperatorem, quam potius penes Aëtium fuisse probatur, ut exemplum afferam, legatione illa, quae anno 431 a Gallaecis ad eum missa est, et cujus princeps erat Chronographus Italius, episcopus Lemiciensis.[1]) Populi igitur maxime remoti opem, quam Romae frustra implorabant, in ducis illius castris petendam esse putabant.

Aëtius quidem fortissimis Gallaecis contra Suevos opem ferre non poterat, attamen Censorium comitem misit in Gallaeciam, ubi pro ejus provinciae incolis Romanis interveniret. Hanc potentiam partam augebat etiam anno 432, quum consulatus dignitatem adipisceretur.

At tum Placidia ejus potentiae et arrogantiae obviam eundum esse putabat. Quanti vero haberet victoriam de milite illo praepotente, plane ostendit, quum Africam potius copiis privare vellet, omnesque urbes, Carthagine et Cirta exceptis, barbaris cedere, persuasa sine dubio, si, Aëtio devicto, omnes imperii opes penes unum hominem essent, eumque sibi addictum, sese rursus in Africa Marte favente gavisuram esse. Aëtium igitur Vandalis ipsis majorem magisque periculosum hostem aestimabat. Qua ratione? Venerat fortasse ille in suspicionem rerum novarum? Timebatur ejus defectio, ut Bonifacii exemplum secutus in Gallia et Hispania[2]) sibi regnum pararet? Aut indignabantur tantum Romae de Aëtii potentia et auctoritate?

In has quaestiones si responsum dares, historiae Gothorum tenebrae clarescerent. Nam Theodorici aut amicitia aut hostilitas maxime influere necesse erat in Aëtii consilia. Quamvis magnam gloriam parasset victoriis de barbaris Galliam invadentibus, quamvis magnum et fidelem exercitum haberet, quamvis denique Gallorum indoles mobilis et excitata et novarum rerum cupida consilium fortis et clari ducis adjutura esset, sine Gothorum assensu omnia irrita fuissent. Nec minus Placidiae interfuisse puto, ut Theodoricum sibi conciliaret. Quod ei magis coniigisse videtur, quam Aëtio.

---

[1]) Idatius ad hunc annum.

[2]) Censorium Comitem ab eo in Hispaniam legatum missum esse in memoriam revoco.

Qui adversariorum consiliis et subito impetu oppresus est, antequam necessaria comparasset, quo factum est, ut cunctantis et defendentis more bellum inciperet.

Proelio, quod conflictum est anno 432 inter Bonifacium et Aëtium et quod Bonifacio quamquam victori mortem attulit, Gothos interfuisse nusquam legimus. Sed postquam Aëtius brevi tempore post magno cum exercitu Hunnorum in Italiam reversus est, Sebastianus, qui post Bonifacii soceri interitum ejus munere fungebatur, Theodoricum permovit, ut pro salute imperatoris et Placidiae omniumque, qui in Bonifacii parte steterant, arma caperet.[1]) Quorum impetui Aëtius antevenit, quum pactionem iniret cum Romanis, cujus ea praecipua conditio erat, ut ipse, gratia accepta, in omnes honores restitueretur, Sebastianus autem princeps adversariorum, in excilium mitteretur.[2])

Cap. III.

De bello Narbonensi.

Hoc modo duorum virorum ambitiosorum certamen finitum esse videbatur; qui modo hostis patriae praedicabatur, jam ipsius Patriciatus summum honorem adipiscitur.[3])

Attamen Bonifacii vetus factio nondum exstincta erat; enitebantur summo studio, diligentia, industria, uti Aëtio ejusque sociis, qui Romae auctoritate florebant, hostes excitarent, hac spe perducti, fore, ut omnibus rebus perturbatis, summarum rerum potirentur.

In Theodorici regis aula, quem in Sebastiani[4]) parte ste-

[1]) Prosp. Tiro. ad h. ann.: „Gothi ad ferendum auxilium a Romanis acciti."

[2]) Prosp. Aquit. ad ann. 11 Theod. — Idatius ad h. ann. — Marcellini chronic. ad h. ann. — Sulp. Severus chronic.

[3]) Idatius ad ann. 9. Valent.

[4]) Sebastianum, quem Marcellinus (Theodosio XV. Valent. IV ann. 435) urbe Augusta (Constantinopoli) fugisse tradit, Idatius post fugam ad Theodoricum regem se contulisse memorat, magni sequentis belli excitatorem fuisse verisimile est.

tisse cognovimus, auctoritatem Romae perditam recuperaverunt; ibique contegebantur fila foederis late dispersi. Cujus participes erant Burgundiones et Armorici; Bagaudarum quoque motus, qui Tibatone quodam duce celeriter per Gallias septentrionales serpebant, iis haud alienos fuisse colligimus.[1]) Quae omnes gentes eodem fere tempore Romanis hostes exstiterunt. — Burgundiones, quorum nomen diversarum nationum Germanicarum ruinas et reliquias continebat, et qui una cum Alanis et Vandalis et Suevis Rhenum trajecerant, anno 413 Germaniam primam occupaverant inde a montibus Jurae usque ad Moguntiacum oppidum.[2])

His temporibus sedes suas in Belgicam dilatare studebant[3]), qua de causa eis Franci, earundem regionum occupandarum studiosi, hostes exstiterunt. Aëtius, a Francis in auxilium vocatus, magno cum exercitu, qui diversarum nationum militibus compositus erat,[4]) Burgundionibus, obviam ivit. Primo anno ancipite Marte conflictum est, dum anno proximo (437) Burgundionibus talis clades inflicta est, ut eorum rex Gundericus pacem petere cogeretur; quae supplici data.[5]) Bagaudarum in Galliis et Hispaniis motus jam Diocletiano imperatore memorantur; at collabente imperio Romano et Germanis nationibus ejus provincias invadentibus, multo graviores erant.

Judicum contemptione justitiae excitati et immodicis tributis ad extremum redacti coloni jam nullam salutis spem habebant, nisi in secessu a republica Romana, in conjunctione cum barbaris, quorum ingenia aequiora sua quemque libertate uti paterentur. Momilis et excitata Gallorum indoles, qua facilius ad seditiones turbasque proriperentur, magni

---

[1]) Prosp. Tiro ad ann. Theod. 12.

[2]) Prosp. Aquit. et Cassiod. ad ann. 413.

[3]) Sidonius Apoll. in Panegyr. Aviti v. 434. 35. — „Belgam, Burgundio quem trux presserat, absolvit Aëtius."

[4]) Sid. Apoll. in Panegyr. Aviti v. 435—37.: „Vincitur illic — Cursu Herulus Chanus jaculis, Francusque natatu, — Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus."

[5]) Prosper Tiro ad ann. Theodosii 13. — Prosp. Aquit. Theodosio XV et Valentin. IV. Burgundiones a Gothis adjutos esse aequales non memorant, solus Chronographus Caroli magni aequalis apud du Chesne Tom. I. scribit ad ann. XIII Theodosii: „Burgundionum caesa sunt viginti milia, Gothorum, qui eis auxiliavere, octo milia."

momenti est secundum Loebellium,[1] ut harum seditionum subita initia vastosque auctus satis explices. Quam mobilem et novarum rerum cupidam Gallorum indolem considerantes intelligimus quoque, quo factum sit, ut, quamvis inerme esset imperium Romanum, quamvis continuae barbarorum incursiones et depraedationes, brevi tempore reprimerentur.

Eodem anno, quo Gothi et Burgundiones bellum movebant contra Romanos (436 p. Chr. n.) Bagaudae quoque conspiravere contra rempublicam. Anno 438, postquam Burgundiones conquieverunt, Aëtius contra eos bellum gessit. Quamquam expeditiones contra eos, qui in montes inaccessos et locos invios appropinquante hoste sese reciperent, difficillimae essent, Romanorum tamen duci brevi tempore contigit, ut rebellantes opprimeret. Tibatone capto et ceteris seditionis principibus partim caesis, partim vinctis, colonorum irritati animi placati sunt.[2])

Quibus rebus prospere peractis, Armoricos subjiciendos esse Aëtius putabat. Qui regionem intra Ligerim fluvium et Sequanam et mare sitam incolentes jam anno 408 vel 409 in libertatem se vindicaverant. Paucis annis post ab Exuperantio sub Romanam ditionem redacti, ut erant ingenio novarum rerum cupido, quaecunque defectionis accasio sese praebebat, ea utebantur. Recentem defectionem et foedus cum Gothis utipuniret, Aëtius misit Litorium in eorum terram, qui eos perdomuit commovitque, ut foedus cum Gothis initum desererent.[3])

Eidem Litorio, viro forti et alacri, qui vero magna illa virtute temperantiae carebat, Aëtius bellum Gothicum commiserat, dum ipse in Gallia septentrionali contra Burgundiones et Bagaudas pugnat.

Hoc bellum sine dubio gravissimum est omnium bellorum, quae Theodorico rege a Gothis contra Romanos suscepta sunt; hoc enim certamen erat, quo contendebatur non pro gloria augenda, sed pro penatibus et libertate; neque

---

[1]) Loebell. Gregor v. Tours und seine Zeit. pag. 86—88

[2]) Prosp. Tiro ad an. 12. 13. 14. Theodosii. — Merobaudis Panegyricum Aëtii v. 151 et seq.

[3]) Sidon. Apoll. (Panegyr. Aviti v. 446 u. 47). Litorium huic in rebelles Armoricos expeditioni praefectum fuisse narrat; Merobaudes, qui Aëtium laudare sibi proposuisset, gloriam finiti belli Armerici Aëtio vindicat. (cf. Merob. Panegyr. Aëtii v. 8 – 15).

minus periculosum erat novo illi rerum ordini, qui Romae constitutus erat illo tempore, quo Aëtius ad penates reversus in omnes honores restituebatur. Hoc erat discrimen: Gotho, si esset, Romano, si amplius regnaret.

Qua de causa multum interest, ut hujus belli vicissitudines et exitum plane cognoscamus, sed chronicorum egena historia nos impediri doleo, quominus omnes res fortiter gestas et utriusque partis conditiones perspicue describamus.

Usque ad hoc tempus Gothi Arelatensis urbis possessionem invidebant; quae quamquam ad firmandum regnum maximi momenti erat, quum et commercio insignis esset, et opportunitate loci, Gothorum tamen opes non sufficiebant neque ad expugnandam urbem fortissimam et natura et arte munitam, neque ad defendendam (respicias, Gothorum proprias sedes a Rhodano fluvio valde remotas fuisse; nova autem illuc migratione populi opes debilitari necesse fuisse.)

Quae intellexisse videtur Theodoricus. Ex hoc tempore, seposito consilio Arelatis capiendae, id maxime spectabat, ut Narbonem urbem ejusque portum Romanis eriperet. Erat autem Narbo urbs ad mare sita, optimo portu praeclara, sita in amoena et fertili provincia Narbonensi, cujus caput erat.[1]) Gothorum autem sedibus proxima erat eoque facilius defendi poterat. Urbs commercii quoque libertatem praebebat, quod antea penes solos Romanos fuerat.[2]) Neque alienum puto, Gothos perductos esse ad consilium capiendi portus Narbonis desiderio quodam maris, quo eorum majores magnam rerum bene gestarum gloriam adepti essent, vel studio quodam omni hominum generi innato, ut occupatione portus siti ad mare, quod communicationi cogitationum, sententiarum, idearum faveret, operum et inventionum mentis humanae participes fierent.

Quae omnia effecisse mihi videntur, ut Theodoricus signa ferret non in orientem, sed in meridiem.

Anno 436 fines transgressus, vicinis oppidis captis, Narbonem festinat, quam obsidione in suam ditionem redigere studet.[3])

---

[1]) In Sidon. Apoll. carminis XXIII v. 37. invenies laudem Narbonis.

[2]) Salvianus de gubern. Dei lib. VI. p. 129.

[3]) Prosp. Aquit. Isidore et Sensatore Css. . . . — Idatius. — Isidori Hispalensis chronicon Gothor.

Aëtius illo tempore motibus in Gallia septentrionali, ubi ei simul Burgundionum, Bagaudarum, Armoricorum rebelliones reprimendae erant, impediebatur, quominus urbi valde pressae in auxilium veniret, Gothosque repelleret, quod ei jam bis contigerat. Quum urbi opem ferre non posset, civium virtuti defensio commissa est; nepue indignos sese praebuerunt tanta fiducia. Tanta enim virtute resistebant, ut obsidio in proximum annum (437) continuaretur, neque cum magna Gothorum spe.

Quum tandem procedente oppugnatione civium arma contra Gothorum validos impetus irrita essent, oppugnati etiam caritate annonae premerentur, postquam urbs a mari quoque commeatu interclusa est,[1]) defensionem jam irritam esse rati de salute desperabant. Et jam in eo erant, ut deditionem pararent, quum in hoc summo rerum discrimine Litorius, ab Aëtio missus, ad urbem liberandam advenit. Qui cum equitatu, quem secum habebat, per medios hostes, qui obsidionem curabant, in urbem evadit, simulque advectis per singulos equites binis tritici modiis, civitatem annona implevit. Quo factum est, ut Theodoricus etiam de Aëtii adventu certior factus, castris motis, vineis testidunibusque destructis, ab urbis moenibus sese reciperet anno 437.[2]) At ceterae provinciae regiones nondum reliquit, immo etiam ejus oppida et vias occupatas tenebat. Quae quum ita essent, Aëtius victor de Burgundionibus, ut eos e provincia ejiceret, enitebatur. Bellatum est anno 437[3]) et 438 in provincia, contigitque Aëtio, ut hostes cedere cogeret, postquam eorum octo milia militum cecidit.[4])

---

[1]) Jure colligimus, Narbonem etiam a mari obsessam fuisse; aliter enim explicare non possumus, urbem annona interclusam esse, quod omnes fere fontes contendunt. Quid mirum, Gothos eo tempore mari validos fuisse, quibus Oceanus in Aquitania navigandi occasionem praebuisset. Gollexerunt sine dubio omnes naves toto titore, neque defuerunt, qui tempestatibus maris, Narbonensiumque impetibus fortiter obviam ituri essent.

[2]) Isid. Hispal. — Prosp. Aquit. — Sidon. Apollin. Panegyricum Aviti v. 475 et seq. — Idat. chron.

[3]) Prosp. Aquit. Aëtio II et Sigisvuldo: „Bellum adversus Gothos Chunis auxiliantibus geritur."

[4]) Prosp. Aquit. Theodosio XVI et Fausto (anno 438) „Adversum Gothos in Gallia quaedam prospere gesta."

Quibus rebus bene gestis, Litorio bellum Gothicum gerendum commisit; ipse in Galliam septentrionalem festinavit, ubi Bagaudarum motus reprimeret, quod ei eodem anno 438 optime contigisse jam cognovimus.[1])

Interea Litorius Narbonis defensae gloria nimis elatus, dum Aëtii res gestas superare appetit, Gothos in ipsorum

---

Idat. ad ann. Valentin 14. (438): „Gothorum caesa octo milia sub Aëtio duce." Invenimus in Merobaudis Panegyrico Aëtii versus sequentes:

„Hinc quoque, Tyrrhenis qua fluctibus ima resultat
„Gallia, et aërii conscendens ardua montis
„Limite nimboso terras perstringit Hiberas,
„Nil nostri jam juris erat, sed belliger ultor (Aëtius)
„Captivum reseravit iter, clausasque recepit
„Expulso praedone vias, populosque relictis
„Urbibus et sociis confinia reddidit arvis."

Qui Merobaudis versus si Aschbachium non effugissent, certe octo milia Gothorum, de quorum interitu loquitur Idatius, anno 438 in provincia Narbonensi caesos esse scripsisset. Quos quum ignoraret, neque bellum in Provincia Narbonensi gestum esse cognosset, falso anno 439 Gothos ab Aëtio devictos esse colligit; Idatius autem et Prosper ad annum 438, non ad an. 439 scribunt, octo milia Gothorum ab Aëtio caesos esse. (Aschb. Geschichte der Westgothen S. 118.) Fortasse illa Aëtii de Gothis victoria, quam Merobaudes memorat (in fragmento secundo praefationis ad Panegyricum Aëtii) eadem est, quam Idatius et Prosper ad annum 438 referunt. Ait autem Merobaudes: „Nactus sum quendam, qui se tuis recentibus gestis interfuisse memorat. „„Gothorum,"" inquit „„manus universa cum rege exierat, Romana populatum; hoc ut dux comperit"" jam non expectavi, ut diceret: „„progressus est, manum contulit;"" neque enim haec a te acta dubitabam. Quaesivi statim, qualiter, quantosve fudisses. Tunc ille: „„ad montem,"" inquit, „„quem Colubrarium quasi praescia vocavit antiquitas (in eo enim nunc reipublicae venena prostrata sunt maxima) hostium partem improvisus, ut solet, neci dedit; fusisque peditum copiis, quae plurimae erant, ipse palantes turmas persecutus, stantes robore, fugientes alacritate compressit, nec multo post rex ipse cum reliquis copiis suis adfuit, defixusque horrore subito calcata prope cadavera"" — fragmentum hoc loco abruptum esse valde dolemus.

[1]) L'histoire du Languedoc (p. 182) verisimile esse ducit, Wisigothi hoc tempore Turonum urbem obsidentes a Majoriano rejectos esse. Quae opinio innisa est versibus 211 et 212 Panegyrici Majoriani apud Sidonium, quibus narratur, Majorianum defendisse Turones bella timentes. Sed poëta neque tempus indicavit, neque hostes nominavit. Praeterea bellum in meridionalibus potius Galliae regionibus gestum esse videtur, quam in septentrionalibus. Quibus rationibus perductus sum, ut Martini potius opinioni accedam, qui illam civitatem anno 446 vel 47 ab Armoricis obsessam esse statuit (Martin, Histoire de France Tom. I. p. 360.)

patria aggredi eorumque opes funditus delere intendit. Eo consilio anno 439 per Arvernorum terram cum exercitu proficiscitur. Cujus exercitus robur auxiliares Hunni erant, quorum saevae turmae, disciplinae expertes, ne amicorum quidem bonis parcebant; nam Sidonius Apollinaris in Panegyrico Aviti docet, eos, maxima crudelitate et saevissima depradatione illa regione lacerata, eo arrogantiae processisse, ut Romanorum ipsi amici arma capere coacti essent, quibus vitam et bona a barbarorum crudelitate et avaritia defenderent.[1])

Quum vero Hunni, Gothorum fines transgressi, ultimo freno Romanae disciplinae carerent, jam nulli parcebant, quo factum est, ut incolae .pavore capti salutem fuga peterent. Hunnorum equitatum usque ad extremos Gothorum fines provectum esse, obsidione urbis Vasaticae probatur; de qua refert Gregorius Turonensis (de gloria martyrum lib. I. c. 13). Quum cives Vasatenses hostium impetui fortiter resisterent, per sacerdotem admoniti, Hunni depopulabantur vicinas villas, domos incendio delentes, agros vineasque intromissis pecoribus vastantes.[2])

Tali modo Gothi perterriti oppressi sunt neque fugam sistere conantur, dum Tolosam urbem appropinquant. Ubi tandem communi defensioni student. Quum vero adversa fortuna afflicti Marti diffidant, pactionibus potius, quam proelio salutem quaerendam esse putant. Quare Theodoricus consilium capit mittendae legationis ad Litorium victorem.

Cujus legationis princeps eligitur Orientius episcopus Ausciensis, qui vir praeclarae sanctitatis fama gaudebat. Is in

---

[1]) cf. etiam Paulini Aquitani de vita Martini lib. VI. v. 216—19 ed. Daunii:

„Cum subito pacefacta metu graviore
„Auxiliatores pateretur Gallia Chunos,
„Nam socium vix ferre queas, qui durior hoste
„Extet, et adnexum foedus feritate repellat."

[2]) Quamquam Gregorius de tempore obsidionis nil traddidit, tamen colligere possumus, anno 439 id actum esse. Nam alio tempore Hunni in Gallia meridionali bellum non gesserunt. — Eorum ducem Gregorius Gausericum appellat Quod nomen germanum posset aliquem perducere, ut huic Gregorii narrationi fidem adhibendam esse negaret. At Koepke (Die Anfänge des Königthums bei den Gothen p. 137) et Grimmius (Geschichte der deutschen Sprache p. 189. 331) docent, Hunnorum principes Gothorum nomina appellativa sibi assumpsisse.

Romanorum castra se confert, ubi duci persuadeat, ut pacis (sine dubio humiles) conditiones accipere velit. Sed Litorius, belli Narbonensis felice eventu superbiens, hujus etiam expeditionis splendido initio caecus factus, quum expugnationem Tolosae urbis omniumque Gothorum extinctionem haud difficilem sibi fore putet, pacis honestae conditionibus recusatis, eo arrogantiae et insaniae procedit, ut indicet diem, qua Tolosam urbem victor ingressurus sit.

Hoc Romani ducis responsum, a sancto episcopo relatum, Gothorum animis inter salutis spem et desperationem pendentibus, pessimum solatium erat. Quum autem ab hominum aequitate et misericordia jam nil sperandum esse intelligerent, in Deo omnem spem ponebant; quem, uti se ab hostium inhumanorum crudelitate servaret, supplices orabant; „ipse rex,“ ut ait Salvianus, „usque ad diem pugnae stratus preces fudit, ante bellum in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit.“ Dum Gothi tali modo probant, se christianae religionis praecepta modesto animo accepisse, Romana castra diversum conspectum praebent.

Litorius ipse in paganorum tenebris errabat, Christianorum pios mores contemnens, veterum Romanorum potius more haruspicum responsis intentus aliisque paganorum artibus magicis fisus. Postquam haruspicum et magicorum responsis permotus credidit, eam esse deorum immortalium ex fato voluntatem, ut Gothorum opes deleret, ad impetum signum dat.

At Gothi saevorum Hunnorum equitum impetum maxima virtute sustinent; perturbatis etiam ordinibus eos in fugam vertunt, magnum numerum caedunt, ipsum ducem Litorium inconsideranter proeliantem capiunt. Id magnae cladis Romanae initium fuit, Marte Gothorum armis favente neque desperatorum animum eludi patiente.

Victores Gothi gratulantes ovantesque urbem intrant, hostium ducem captivum in triumpho ducentes. Qui victoriae non dubiae spe elatus pactionem recusaverat, idem tum, brachiis in tergo alligatis, manibus constrictis in eam ipsam urbem victus ducitur, quam imperatorem se ingressurum esse vane jactaverat.

Feminis et liberis spectaculo erat, sexusque promiscui

irrisiorem subiebat, quod ei qui maximum habuisset supercilium fortis viri, turpis mors subeunda esset. Salvianus tradit: „eum longo tempore et diuturna in ergastulo barbarorum tabe consumptum in hanc miseriam redactum esse, ut, quod plerumque homines etiam poenis ipsis gravius atque acerbius putarent, in miserationem hostium devenisset;" addit autem: „Gothi enim Deo humiles victoriam in manu Dei esse crediderunt."

Quibus ex verbis Salviani colligere non possumus, Litorium interfectum esse; quum vero alii fontes, inter quos Idatii aequalis auctoritas, eum necatum esse tradant, hoc factum esse negare non possumus. Haec de bello Gothico fontes aequalium tradiderunt.[1]) Quae postquam exposuimus, restat, ut nonnullas quaestiones explicare studeamus.

Ubi erat per hoc tempus Aëtius, fortissimus imperii miles? Omnino non intererat huic bello, omnibus, quae antecesserant, graviori? An ille quoque contra Gothos profectus erat, postquam Gallia septentrionalis placata? Concipere non possumus, alii imperii parti, graviore aliqua re laboranti, ejus praesenti a opus fuisse, quo impediretur, quominus huic maximo bello interesset; neque verisimile duco, eum, ambitione deposita, aemulo talem triumphum deportandum cessisse.

Optimi quidem illius temporis fontes Aëtii contra Gothos bellantis non memorant; Jornandes tantum in cap. 34 historiae rerum Getarum tradit, eum memorabile illud bellum contra Gothos gessisse; Litorium autem Hunnorum equitatui praefectum fuisse. Praeterea exstat legenda quaedam sancti Orientii episcopi, quae refert, hunc pium virum a Theodorico ad Romanorum duces legatum missum ab Aëtio receptum esse cum omnibus honoribus, qui ecclesiae principi debentur, a Litorio vero rejectum esse. Qua de causa Litorium in pugna cecidisse, Aëtium servatum esse precibus episcopi; ejusdem etiam Orientii propositionibus monitum Gothorum terram reliquisse Aëtium.[2])

Quam descriptionem conferens cum Jornandis narratione, rationem etiam habens similitudinis veri, Aëtium absentem

---

[1]) cf. Salvianus de providentia Dei lib. VII pag. 140. — Prosper Aquit. Chronic. Theodosio XVII et Festo Css - Cassiodori Chronicon. — Jornandes de reb. Gel. cap. 34. — Isidor. Hispal. Chronic. Goth.

[2]) Bolland. ad 1 mens. Maji. p. 61.

non fuisse, haec conjicere conor: Aëtius, qui toti exercitui contra Gothos comparato profectus erat, copias suas ita divisit, ut alteram partem ipse adversus hostes duceret, alteram partem, in qua equitatum Hunnorum, Litorio committeret, praecipiens, ut quam celerrime per Arvernorum terras Gothorum fines peteret.

Litorius iis, quae ei praecepta erant, feliciter peractis, nimia ambitione eo perductus est, ut Aëtii exercitum non exspectans Gothorum caput aggrederetur, at tristi eventu, quem jam cognovimus. Theodoricus victoria erectus, postquam altera Romani exercitus pars deleta est, Aëtio obviam ivit. Sed vicissitudinis rerum humanarum haud immemor pactionem non recusavit, quae ad finem redacta est interventu Sti. Orientii et Aviti, Theodorico familiaris et amici. Haec hactenus! Pergamus conjecturis relictis res gestas narrare.

Sidonius Apollinaris Romanorum conditionem post cladem apud Tolosam acceptam ut miserrimam describit[1]): exercitum fuisse deletum, omnesque terras usque ad Rhodanum fluvium Gothis victoribus patuisse; duces Romanos consilii inopes regi Theodorico resistere non potuisse; pacem conclusam esse interventu Aviti soceri. De conditionibus poëta silet. Prosper Aquitanicus autem docet, Gothos victorum more pacis et foederis conditiones praescripsisse; ait enim: „Pax facta cum Gothis, quum eam post ancipitis pugnae lacrimabile experimentum humilius, quam unquam antea, poposcissent.“[2]) Sine dubio Romani secundum ejus pacis conditiones terrarum damna subiere. Quae, quam-

---

[1]) Sidonius Apoll. in Panegyrico Aviti v. 299 et seq.
„Nil prece, nil pretio, nil militia fractus agebat
„Aëtius. Capto terrarum damna patebant
„Litorio. In Rhodanum proprios producere fines
„Theudoridae fixum, nec erat pugnare necesse,
„Sed migrare Getis . . . .
„Postquam undique nullum
„Praesidium, ducibusque tuis nil, Roma, relictum est,
„Foedus, Avite, novas; saevum tua pagina regem
„Lecta domat; jussisse sat est te, quod rogat orbis.“

[2]) cf. Idatius: „Inter Romanos et Gothos pax efficitur.“ — Isidor. Hispal. chronic.

quam nominata non sunt, tamen colligere possumus. Gothorum certo magis intererat, ut fines regni dilatarent in meridiem versus, quam in septentrionem. Hic asperum coelum, pauperes agri, amici incolae; illic coelum mite, divites agri, expetitum solum, majus etiam belli momentum. At Narbonensis provincia, de cujus possessione bellum cruentissimum susceptum erat, in Romanorum ditione remanebant.

Neque Arvernorum terra concessa est; cujus regionis expugnatio Theodorici filiis evenit. Attamen victores Gothi duram pacem Romanis imposuerant. Divitem igitur regionem ab imperatore concessam esse conjicimus: Talis regio erat reliqua Novempopulanae pars, quae etiam sex civitates continebat, miti coelo gaudebat et fertili agro. Haec regio Gothis tradita esse mihi videtur: primum quod verisimile non est, aliam imperii partem concessam esse, deinde, quod Salvianus, qui post bellum narbonense libros de gubernatione Dei conscripsit, Novempopulanos terra sua expulsos esse memorat (de gubernatione Dei lib. VII. p. 132 sq.). Itaque tota Novempopulana tradita pacem conclusam esse jure colligere videmur.

Quae pacis conclusio lucidum exemplum est summae temperantiae magni regis, qui hosti ad suam deletionem profecto leves (si respicis miserum Romanorum statum post cladem) conditiones imponeret. Neque minus Aëtii magna ars placandorum irritatorum animorum elucet.

Fortasse Aëtius novum foedus firmavit, accepta in matrimonium femina ex regia stirpe, quod indicare videntur hi versus Sidonii, qui uxorem Aëtii ita loquentem inducit:

> „Quid faciam infelix? nato quae regna parabo,
> „Exclusa sceptris Geticis, respublica si me
> „Praeterit“ [1])

et ex Merobaudis versibus in Genethliaco, filio Aëtii dicato:

> „Adsit cum socio parente conjunx,
> „Conjunx non levibus canenda Musis,
> „Heroum suboles, propago regum,
> „Cujus gloria feminam superstat.“

---

[1]) Sidon. Apoll. Carmen V Panegyrici in Majoranum vers. 203. seq.

V i t a.

Clemens Augustus Volmer, fidei catholicae addictus, natus sum Oeldenae, in Guestfaliae urbe, anno h. s. XXXIX patre Carolo, matre Antonia e gente Speith, quos diu mihi conservet incolumes deus o. m. Postquam litterarum rudimenta in ludo publico idici, a [illegible] docto Hast etiam veterum linguarum elementis institutus sum, ad gymnasium Theodosianum Paderbornense, quod etiamnunc Ahlemeieri auspiciis floret, accessi.

Octavo decimo aetatis anno testimonium maturitatis adeptus sub auctumnale tempus anni h. s. LVII ad hanc almam Viadrinam matrem me contuli, ubi a V. Ill. Elvenich, tunc fasces academicos tenente, inter cives academicos receptus nomen dedi apud V. Ill. Loewig.

Tria post semestria commigravi Monachum, ubi a V. Ill. Poetzl inter cives academiae receptus sum. Unum post semestre, quum jam intelligerem, scientiam litterarum francogallicarum utilissimam mihi fore, atque censerem, id mihi optime contingere posse, si me conferrem in universitatem, quae Lovani floret, et hoc ipsum feci et a V. Ill. De Ram civium academicorum numero adscriptus sum. Anno peracto in patriam redii, in cujus etiam academia Monasteriensi et universitate Berolinensi singulum semestre studiis operam navavi: Deinde Vratislaviam reversus, iterum in civium academicorum numerum receptus a V. Ill. Rev. Semisch, nomen dedi apud V. Ill. Haase.

Intra hoc annos interfui lectionibus V. V. Ill. Ill. Vratislaviae: Elvenich, Loewig, Junkmann, Roepell, Schulze, Marbach, Rumpelt; Monachi: Liebig; Lovani: Arendt, Moeller, Baguet; Monasterii: Winiewski, Deicks, Rospatt, Clemens, Schlüter, Storck; Berolini: Ranke, Trendelenburg, Haupt.

Jamjam igitur per quinquennium in academicis studiis versatus atque historicas imprimis litteras secutus ad ultimum hoc virium tentamen accedo, ut honores, quos philosophorum amplissimus ordo summos confert, carpere contingat.

At finem facere non possum, quin omnibus, qui laborum meorum adjutores fuerunt et fautores, ac praesertim parentibus dilectissimis et viro clarissimo Junkmann pio animo gratias quam maximas agam.

THESES.

I. Jornandem, qui primus Gothorum et Getharum nomen commiscuisse arguiter, quo fraudelenter Gothorum gloriam augeret, defendo.

II. Censeo, impensas in institutionem elementariam non singulas civitates, sed totam rempublicam facere debere.

III. Veteres Germanos Taciti tempore remansisse in infimo illo agriculturae gradu, qui etiam agri novandi artem ignorat, secundum Roscherum contendo.